z.
I

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
E
26
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

IAC. THEODORI KLEIN
SUMMA DUBIORUM
CIRCA CLASSES
QVADRUPEDUM
ET
AMPHIBIORUM
IN
CELEBRIS DOMINI
CAROLI LINNÆI
SYSTEMATE NATURÆ:
SIVE
NATURALIS QVADRUPEDUM HISTORIÆ PROMOVENDÆ
PRODROMUS
CUM PRÆLUDIO
DE
CRUSTATIS
ADJECTI DISCURSUS:

I. DE RUMINANTIBUS.

II. DE PERIODO VITÆ HUMANÆ COLLATO CUM BRUTIS.

CUM FIGURIS.

Ariſtoteles:
Prima laus eſt humanæ ſapientiæ, valde ſimilia poſſe diſtinguere.

LIPSIÆ PROSTAT APUD JO. FRID. GLEDITSCHIUM, UBI ET RELIQVA AUTORIS OPUSCULA.

GEDANI TYPIS SCHREIBERIANIS. 1743.

B. R. NAPOLI

Digitized by Google

Auguſtinus:

Melius eſt, reprehendant nos Grammatici, qvam non intelligant Populi.

Digitized by Google

PRÆLOQVIUM
DE
ANIMALIUM LUSTRATIONE
A
PRIMO HOMINE
CELEBRATA.

§. I.

Qvod *primus Homo* ad imaginem DEI creatus, de diſponendis qvoqve rebus naturalibus, qvarum obtinuit imperium, optimus procul dubio METHODICUS fuit. Abſolutum hujus prærogativæ proſtat in ſacris paginis documentum, qvod omnia animalia nominibus *propriis* a), prout ipſam *Conjugem* ſibi datam, appellaverit; alias *Sapientiſſimus* DEUS *Creator* & *autor naturæ* non compromiſiſſet b) in pronunciationes Creaturæ, *Adami:* GOtt der HErr brachte ſie zu dem Menſchen, daß er ſehe, wie er ſie nennet; denn wie der Menſch aller-

Digitized by Google

ley lebendige Thiere nennen würde, ſo ſolten ſie heiſſen; und der Menſch gab einem jeglichen Vieh und Vögel unter dem Himmel, und Thiere auf dem Felde ſeinen Nahmen; adduxit ea ad *Adamum*, ut videret, qvo iſta nomine appellaret: nam qvodcunqve *homo* nomen anima vivente præditis imponeret, illud ipſum nomen eis eſſe debebat; appellavitqve *Adam* nominibus ſuis cuncta *animantia* & univerſa *volatilia cœli*, omnesqve *Beſtias terræ*. *Gen. II. 19. 20.*

a) Principi creaturarum in hoc globo terraqveo, prout & aliis operibus ſuis DEUS *ipſe* nomina dedit, ut: *Luci & tenebris*, *diei & nocti*, *firmamento & Cœlo*, *terræ marique*, *luminibus* diei & noctis &c. reliqva pro nomenclatura *homini* reſervavit.

b) Qvod abunde de uſu rectæ rationis & rerum omnium ſcientia *Hominis* teſtatur; cum qvo DEUS familiares habuit ſermones; cui legem ſanxit capitali pœna eam violanti conſtituta, ut *ſpeculative* (ex Theologorum communi fere ſententia) ſcientiam haberet boni & mali, qvam peccando ſibi poſtea contraxit *experimentalem*.

§. II.

In hoc textu *ſumma* animantium *genera* continentur, qvæ in ſicco vivunt, partim & in *aëre* (ut nonnulli loqvi amant) natant, nimirum TETRAPEDIA & DIPEDIA, qvod ibi mentio fit *pecorum*, *ferarum* & *avium*. De *piſcibus* eqvidem (ne dicamus de inſectis, qvæ vocantur) non niſi in aqvis degentibus, expreſſa mentio nulla facta, qvod ſolemnem hominis luſtrationem pari modo ac reliqva animalia ſubire vix potuerunt; dubium tamen nullum eſt, *Adamum* vel poſt lapſum MONARCHAM & PHILOSOPHUM c) ſucceſſive *piſces* ac reliqva appellaſſe nominibus ſuis d).

c) Abſurdum eſt, qvod nonnulli Hebræorum ſtatuant, *Adamum & Evam* creatos eſſe ſimpliciſſimos, ſine uſu rationis infantium ſimiles. *Imperium* a DEO accepit primus homo, qvod ſine uſu rationis ſubire non potuit; fuitqve Philoſophus *naturæ*, perfectam naturalium rerum omnium cognitionem habens.

d) Sunt, qvi aliter judicant, ſcilicet: nec piſces nec inſecta excipienda eſſe, ſolis bigeneribus excluſis; qvaſi tunc jam fuerint muli! qvinimo DEUS poſtea expreſſis verbis *Levit. XIX. 19.* ejusmodi commixtionem interdixit: *Jumentorum tuorum ne ſinito duo genera coire:* Meine Satzung ſolt ihr halten, daß du dein Vieh nicht laſſeſt mit anderley Thiere zu ſchaffen haben.

§. III.

Cum vero mox enunciavit nomina animalium, nullis ſubſidiis, qvæ vel ex anatomia aut oſteologia vel etiam ex Dontologia peti potuiſſent, opus habuit pro nomenclatura ſua, cujus gratia luſtrandis animalibus vel ora aperuiſſet, ut numeráſſet ſingulorum *dentes*, vel *viſcera* aut *abditas partes* be-

ſtiarum

Digitized by Google

ſtiarum rimatus eſſet, ſed ex *manuductione* e) DEI prætereuntes beſtias ſingulaqve animalia *a facie & Characteribus externis* f), mox in oculos cadentibus, ſecundum genera (ein jeglich Thier nach ſeiner Art) obſervavit; ſicqve non præmeditatus, non ante contemplatus, nihil prorſus ante eorum perpeſſus, qvæ poſteri addiſcunt, velut penicillo naturam ipſam & inſitam cuiqve animali vim depingens ſapienter dijudicavit, nominaqve talia omnibus & ſingulis impoſuit, qvibus poſteri uterentur, & alias beſtias ab aliis, hasqve iterum ab invicem, ſine difficultate, qvin potius cum certitudine communi, diſtinguere & indigitare poſſent.

e) Supervacaneum eſt de modo qværere, qvo tam Splendidum ac omni memoria dignum (uti loqvitur *Majus H. A.*) Concilium coactum fuerit. Non prætererunt hominem animalia inſtinctu qvodam permota; adduxit ea DEUS, *cujus velle eſt agere.* Nec urſos, qvi pueros irriſores necarunt, nec Leones paſſim in hiſtoria Sacra ad vindictam provocatos, nec magnum piſcem, qvi Jonam excepit, ex inſtinctu egiſſe dixerim. De *inſtinctu* autem *animalium naturali* verba facere, non eſt hujus loci.

f) In eo conſiſtit *ordo naturalis*; & credere fas eſt, eadem nomina beſtiarum in ſacris paginis a *Moiſe* connotata vera & genuina eſſe ab *Adamo* pronunciata, ad *Noachi* familiam derivata & ab hac poſt diluvium, tanqvam propria animalium propagata, qvorum paſſim nonnulla, multa recenſentur *Levit. XI*; quæ nomina manſerunt, & ſi nominum ratio paucis deinceps fuerit perſpecta; neqve opus fuit, ut in commentaria redigiſſet nomenclaturas omnium animalium *Adamus*, ut conjicit *Peyerus.* Qvodſi autem *primo homini* vel familiæ ſuæ tale qvid e re fore viſum fuerit, de Scriptura tamen aut characteribus ſymbolicis vel Hieroglyphicis, qvibus antediluviani uſi fuerint, nihil certi conſtat, qvanqvam cum *D. A. Calmet Diſſert. qui peuvent ſervir de proleg. de l'Ecrit. Sainte* faciamus: Hebraicam linguam *Adamum* per infuſionem edoctum eſſe, eandemqve univerſo humano Generi, ad usqve molimina babelica propriam fuiſſe; non tamen ideo ſeqvitur, linguam Sanctam ante diluvium jam fuiſſe in Scripturam redactam, qvam Moiſem excoluiſſe conſtat; Hariolari licet, ubi nullum divinationis vel labes vel periculum: Forte ejusmodi charactꝛres antediluvianis in uſu fuerunt, qvorum documentum pie defunctus *Jo. Jac. Scheuchzerus* ex monte Blattenberg Glaronenſium poſſedit & in extenſo delineatum nobiſcum communicavit, propria manu, qvæ ſeqvuntur, ſubſcribens: „Monumentum vere diluvianum in lapide fiſſili, nigro, figuris, qvas „hic delineatas vides, ultra planam Tabulæ ſuperficiem extantibus; ex monte Blatten„berg Glaronenſium, Eruditis, inprimis reliquiarum Diluvii amantibus, problematis „loco propoſitum a poſſeſſore Joanne Jacobo Scheuchzero Med. D. Math. P. Tigurino.„ Tabula longitudine eſt 3 ped. cum 10 digitis Rhen. latitudine 1 ped. cum 9½ dig.

§. IV.

Nec eſt, qvod unqvam qvis præſumpſerit, hominem perfecta ſapientia ad imaginem DEI creatum tumultuarie & ſine delectabili ordine nomina

dediſſe g), qvod ſummam facultatem rectæ rationis habuit, penitus intuendi ordinem naturalem; qvi divini aliqvid involvit; imo qvis, niſi inſaniverit, facile crediderit, animalia *ducente* DEO, *ordinis autore*, non ordinate *Adamum* præteriiſſe? qvin potius cum ratione conveniret, qvod ſecundum genera & ſpecies luſtrata fuerint, ſingulisqve nomina adæqvata impoſita h), ab ipſo Creatore approbata; unde palam fit, nomina non ex afflatu diviuo pronunciaſſe *Adamum*.

g) *Suidas* eqvidem dicit: „non tanqvam ex humano ore locutus, ſed divina voce in ipſo „reſonante feliciter rem aſſecutus celeberrimum illud & admirabile oraculum ut vates, „protulit„: ſed rectius *Majus*: Cur ambigamus ea accommodata ipſorum naturis eſſe, nullam video cauſam, etiamſi forte confugiendum non ſit ad afflatum qvendam divinum, cum ſufficiat imago divina, ad qvam conditus homo fuit; neqve ſi nunc rationem nominis alicujus reddere neqveamus, ineptum ſtatim nomen arguemus, qvandoqvidem id non niſi ingenti labore conſeqvimur, *quod per naturam Adamus habuit*, nec eam ſemper adhibemus curam in inveſtigandis rebus, qvam debemus; nec inſtructi ſatis ab iis ſubſidiis ſumus, qvæ reqviruntur.

h) Sic *Philo*: „Adamum nomina dediſſe nec impropria nec inconvenientia, ſed aperte re„rum proprietates exprimentia, ut ad primum vocabuli ſonum mox natura cujusqve no„ſceretur„. Hinc approbaſſe, ait *Majus*, Deum conſtat illam nominum impoſitionem, qvod ſane facturus minime fuiſſet, ſi vel falſa prorſus vel convenientia parum nomina cum cujusqve natura forent. „Sufficit, qvod nomina generica & ſpecifica ſapienter „conſtruxerit; hoc delectabile audit.

§. V.

Non tamen immenſa, ſed, qvæ creaturam decet, *finita ſapientia* condecoratus fuit primus homo, in qvem omniſcientia non cadere, ideoqve ipſe internas & abditas partes animalium divinari non potuit, attamen *illud ipſum nomen animalibus eſſe debebat*, *qvodcunqve homo anima vivente præditis imponeret.* Nihil ergo ſuperfuiſſe apparet qvam qvod prætereuntes beſtias tam a *facie* qvam *ab externis corporum partibus*, ſecundum genera ſua dijudicaverit, ita ut DEO nomina data placuerint. Ponamus: LEONES, TYGRIDES, PARDOS, LYNCES, FELES ordinate *Adamum* præteriiſſe, nulli dubitaverimus: qvin horum ordinem naturalem ſine difficultate introſpexerit, hæcqve animalia, ſpecie diverſa, unius generis eſſe cognoverit. Singulorum eadem mox in oculos incurrit facies, a *phyſiognomis latius explicanda;* omnesqve hæ beſtiæ grallatores ſunt, nullum ambulando veſtigium unguium poſt ſe relinqventes; unguibus qvidem horridis, uncis, validis, falculoſisque averſis; exqviſite cuſpidatis; prædæ dicatis; ſed præ omnibus animantibus, ſingulis mucronibus in vagina conditis, appetendo illico inflictivis. Diverſa qvadantenus ratione, inter reliqva, CERVINUM, BOVINUM,

Digitized by Google

NUM, HIRCINUM, LEPORINUM &c. genera ſumma & a facie & a partibus corporis externis diſtribuiſſe, certo certius nobis videtur; Acqvievit & Moiſes circa legem a Deo ſibi commiſſam de *mundis* vel *immundis* animalibus, *in naturali omnium ordine*, populo non incognito: Vom Geyer und was ſeiner Art iſt — alle Raben mit ihrer Art & reliqva. *Levit. XI.* Nec fruſtratus fuit *Nomenclator* eo, qvod *Cervorum* &c. fœminæ excornes, *rangiferorum* cornutæ ſint; qvod Uri &c. præ *tauris gregalibus* villoſi, in anteriore corporis parte qvaſi monſtroſe corpulenti vel robuſti, in poſteriore infirmes; qvod *Hirci Capræqve* communiter, Ibides &c. conſtanter cornuti i), alii (Humlichte Böcke und Ziegen) excornes; qvod dentur oves *μακροκέρκοι* & *πλατυκέρκοι*, naribusqve aqvilinis, & qvorum poſteriores pedes ungulas exteriores interioribus multo longiores habent. Qvod lepores, ubiqve locorum, digitati & excornes; qvidam lepores cornuti, & qvæ porro.

i) De cornubus, in qvibus abundat naturæ laſcivia vid. *Plin. H. N. XI. 42. Wottonus de differ. anim. Cap. LXVIII. fol. 52. ſeqq.*

§. VI.

Sane ſi ſeqvi velimus ordinem naturalem, tanqvam ſimpliciſſimum & minime fallacem, ſufficientes pro juſta diſpoſitione animalium in ſuas *Ordines*, *genera* & *Species* præſto ſunt *characteres externi*, qvi facem nobis præferunt, ne vel in primo diluculo cæcutiamus, & in dentes k) ac viſcera dilabamur, beſtiasqve lacerare, vel noſmet ipſos, talia perluſtrantes illorum ferocitati aut læſionibus exponere neceſſe habeamus. Ex Anatomia innumera commoda reſultant, exinde autem Syſtema animalium conſtruere, me judice, parum valet; ſic porcorum inteſtina, proxime accederent humanis, viſceribus pro fundamento jactis methodi Zoologicæ; Oſtracodermatum interiorem ſtructuram ſcrutari, noſſe, intereſt & delectat; Methodum vero Oſtracologicam vel ab interna Conſtructione vel a loco formare, & exinde animalium nomenclaturas depromere, vel ex ovariis aviumve ovis, vel a locis ubi degunt aut pabulantur, ornithologiam & denominationes aligerorum deducere, minimi lucri foret. Adeſt *facies externa* e longinqvo dignoſcenda & *Talpam* a *Leone* diſcernens; adſunt vel deſunt *pedes*, *digiti*, horumqve numerus certus, ſtructura, habitus; *aures; oculi; cornua; promuſcides; caudæ* præſentia vel abſentia; *integumenta*, vel cutanea vel piloſa, vel loricata. Proſtant avium roſtra, pedes, plumæ &c. Conchyliorum forma, figurationes dermatum &c Omnia autem adeo detecta ſunt, ut non poſtulent hominum oculos abſolute lynceos, dummodo circumſpectos, diſcretos, & a præconceptis ſchematibus cerebrinis liberos. Cum voluptate legi *M. A. Severinum de vipera pyth. p. 207:* „non faciam ut ii, qvi *corporis forma neglecta & in obſcur o relicta* partes dumtaxat expoſuere; ſtructura mihi univerſa, ut amplior am-

„bitu & circumſpectione, ita etiam expenſu dignior„. Ejusmodi methodo ſimpliciſſima *Adamum* circa luſtrationem animalium uſum eſſe, qvis eſt, qvi lubenter dubitaret.

k) *Dentes* ad capiendum & comminuendom victum diverſum diverſi animalibus a natura ſunt conceſſi, pluribus piſcibus non niſi ad retinendam prædam (*Miſſ. IV. §. II. not. a*). Longævi præ reliqvis *Cervus* & *Camelus* aliunde cogniti manent, licet ſenio confecti oreqve tandem edentulo. Tamandua ab incunabulis ad ultimum usqve vitæ terminum animal edentulum eſt, nec pro victu ſuo dentibus opus habet, non niſi formicis veſcens; ſic regulariter in *nullum ordinem a dentibus* petendum intrare poterit animal *plane edentulum*. Maribus qvoqve dentes ſunt plures qvam fœminis, ut in genere hominum, ſuum, ovium, caprorum patet; verum in cæteris nondum exploratum eſt, *Wottonus Cap. LI. f. 33.* & *Cap. LXXII. f. 55.* Mutantur primores homini, Leoni, Jumento, Cani & ruminantibus; maxillares nullum animal mutat *Wottonus ibid.* Sic animalia dentibus pectinatim coëuntibus potum *lambunt*, illa, qvibus dentes contigui ſunt, ut eqvi, boves, *ſorbent* liqvida; neutrum vero commune eſt urſo, utpote qui aqvam morſu *vorat*. Nonnullis natura partes velut arma animalibus dedit, cujusmodi ſunt dentes exerti; cumqve apri percutiunt, fœminæ ſues mordent, qvod dentibus exertis vacant; Cornua & Calcaria in nonnullis generibus omnino mares habent, fœminæ non habent; in nonnullis qvidem arma ſunt ſexui utriqve, ſed maribus potiora, ut cornua tauris robuſtiora qvam vaccis.

§. VII.

His omnibus rite perpenſis, non facile affirmaverim: *Feles*, *muſtelas*, *lutras*, *phocas*, *meles*, *erinaceos*, *talpas*, *veſpertiliones* ſeſe ſolemnibus proceſſibus LEONUM, TIGRIDUM, URSORUM indiſcriminatim immiſcuiſſe, qvia dentes acutos, primores utrinqve ſex, caninos longiores habere dicuntur; neqve ERINACEUM tanqvam *feram*, ſe ab HISTRICE, tanqvam *glire*, ſeparaſſe, & conſortium cum *lepore*, *ſciuro*, *caſtore*, *mure* iniviſſe dixerim; qvia *gliribus* dicuntur dentes primores duo utrinqve, canini nulli, mammæ utrinqve; imo non niſi difficulter disjunxerim MUREM & SORICEM, ſive murem araneum, Spitzmaus, *illum* tanqvam *glirem*, hunc tanqvam *jumentum*, conjunctum cum *Elephante*, *Hippopotamo*, *Eqvo*, *Sue*, qvia dentes anomali. Hæſitaverim porro, CERVUM adnumerare CAMELO, *capræ*, *ovi*, *bovi*, tanqvam pecoribus, qvia dentes inciſores inferiores præſentes, ſuperiores nulli l), canini nulli, molares utrinqve, mammæ inguinales m), pedes ungulati n).

l) Homo ſeqvioris ſexus edentulus non eſt, qvod multæ vetulæ edentulæ ſunt. Dentes Grandiores Elephanto decidere & renaſci qvibusdam temporum intervallis, autor eſt *Wottonus Cap. LXXV.* & *Petrus Creſcentinenſis 2. hiſt. cap. 3.* aſſeverat, ovium dentes com-

Digitized by Google

commutari poſt annum & dimidium, nempe *duos anteriores*, & poſtea per ſex menſes *duos proximos*, dein *cæteros*, ita ut tribus annis vel ad ſummum qvatuor *ejiciantur omnes*; eſſe autem junioribus dentes non æqvales, ætate provectis diſcalceari (hoc eſt a carne denudari) minui & corrumpi. Ergo oves poſt annum unum & dimidiom fiunt pecora, poſt tertium vel qvartum vero ætatis annum deſinunt eſſe pecora, qvod inciſores & ſuperiores & inferiores nulli; præparata in cœnis capita hædorum inciſores dentes ſuperiores cotidie comprobant.

m) Hiſtrix & Elephas nec ingvinales, nec ventrales, nec umbilicales nec pectorales habent mammas, de qvibus infra; & qvidem Elephanto, tam mari qvam fœminæ, mammæ ſunt perqvam exiguæ; Marium *Wottonus cap. LI. fol. 33.* mammarum notas tantum vocat, qvod mammas homo fere ſolus e maribus habet; vid. lit. s) circa finem, & litt. w W).

n) *Camelum* habere pedes proprie ungulatos vix dixerim. Qvis dixerit *Struthionem* (qvam Celebris Dominus *Linnæus* pro GALLINA habet, roſtro *conico-incurvo*, cum tamen Struthionis roſtrum ſit *plagioplateum* omnino) pedibus ſciſſis vel didactylis, habere pedes ungulatos? Subtiliter licet diſtinguat *Moiſes Levit. XI.* inter *ſciſſionem diviſionemqve* ungulæ, qvando mentionem facit animalium, qvæ & findunt & dividunt ungulas, aliorumqve qvæ qvidem eas dividunt, ſed non findunt. Qvod ut recte intelligatur, notandum eſſe ſtatuit *Majus de Qvadr. gener. cap. 2. findere* (Schaſâ) ungulam vel *fiſſam* habere *ungulam* Hebræis animal dici, qvando plane ſciſſa & qvaſi diſſecta eſt ungula ab inferiori & ſuperiore parte, ut in ſuibus cernimus; dividere autem vel *diviſam* habere *ungulam* (parâs) qvando fiſſa qvidem eſt, non tamen prorſus ex omni parte, verum infra adhæret adhuc, ut in camelis videmus; didactylus potius dici poteſt ungvibusqve inſtructus, qvam ungolatus, CAMELUS.

§. VIII.

Anteqvam autem Claſſes Syſtematis percurramus, ſcire intereſt, Doctiſſimum *Linnæum* ORDINES Qvadrupedum a *dentibus*, GENERA a *mammis* deſumpſiſſe; Non tamen apprehendas velim, acſi *Leoni*, *urſo*, *bovi*, *eqvo*, *erinaceo*, omnibus, non *leænæ*, *urſæ*, *vaccæ*, reliqvis, prout qvidem *capræ* & *ſui* mammas adſcripſerit, maresve ſeqvioris ſexus factos eſſe non præſumas. Imitatus eſt in Tetrapodologia, qvod in regno vegetabili multo labore & ſumma qva pollet eruditione, conſtruxit *celebris autor* SYSTEMA SEXUALE o). Hoc ipſemet ſeqvi valde ſollicitus fui, ſed forte imbecillitas mea in cauſa eſt, qvod Zoologiæ ſic accommodare non potuerim, ut communem de animalibus cognitionem ambiguam non redderet, experientia edoctus, ægerrime Syſtema artificiale qvod in una parte hiſtoriæ naturalis obtinere contingit, ad reliqvas partes applicabile eſſe; nec dum ad Methodum ſexualem in re herbaria plantæ marinæ trahi poſſunt; & vereor ne unqvam illam

illam methodum ſubirent; cum tamen revera plantæ ſint; licet rectiſſime *(in concluſionibus)* ſexus conſideratio *(non ſolum)* Botanico *(ſed & Zoologi)* maxime neceſſaria. Interim nonniſi rerum imperitus, *Leænam* habens, dixerit eſſe *Leonem*, qvi mammas habeat, nullam licet jubam, neſcius, genus maſculinum omnium animalium antecellere forma, virtutibus & multis aliis prærogativis ſexum fœmininum usqve ad hominem, animantium principem, non attentis qvidem effœminatorum hominum blanditiis vel interloqvelis; & credere fas eſt, *primum hominem* non niſi *maribus* nomina dediſſe, uti *Leoni*, cujus fœmina *Leæna* dicta, exemplo ſui ipſius, qvod ſe **Mann** fœminam **Männin** appellavit.

o) Inculti homines ſunt vel nimis moroſi, qvi in rebus naturalibus a *Syſtemate artificiali* plane abhorrent, tutius licet omnibus artificiis anteferendum ſit *Syſtema naturale*, ubi ſufficere poteſt. In pejus laborant, qvi ſummam, qvam circa vegetabilia præſtitit *celebris autor* operam deluſam reddere ſatagunt, non conſiderantes, facilius eſſe reprehendere, qvam imitari; cum bene audire debuiſſet omnibus *Præcellens botanicus* vel potiori argumento obloqvente, a nominibus ſpecificos plantarum characteres exponentibus omnesqve varietates comprehendentibus deſumto.

§. IX.

Sunt viri docti ac probi, qvi varia dubia, circa illud Syſtema animalium mecum communicarunt; Tandem qvod animo intendi, auſus ſum, opus ipſum diebus vacuis aggredi; ubi ſucceſſive plura mihi oborta ſunt dubia, qvæ pariter cum amicis, hiſtoriæ naturali faventibus, communicaveram. Ne autem aliqvando, qvæ intenderam bene facta, ſparſim qvidem expoſita, male facta arbitrarentur illi, ad qvos directa non fuerint, conſtitui monitus *ſummam dubiorum* circa claſſes Imam & IIdam de QVADRUPEDIBUS & AMPHIBIIS loco prodromi *Tetrapodologiæ animalium* conficere; reliqvas, prætermiſſa Claſſe IV. de piſcibus, commodiori tempori committens; ſalva tamen per omnia *celebris Dni Linnæi*, viri de republica litteraria ſumme meriti, autoritate, ſalvoqve rectius ſentientium judicio; perobſervanter rogans, ne ſiniſtre de pietate noſtra vel ipſe judicet, vel qviscunqve hæc legerit, ubi non ſingula verba curatius modificaverim; amicæ veritati ſummopere, qvantum potero, indulgens, ut verborum lenociniis adeo indulgere non potuerim. Cæterum mihi erraſſe volo, mihi judicaſſe, neminiqve moleſtus, & ſi ſine ſufficienti ratione diſſentire cupiat. Deſcendamus jam ad

CLAS-

Digitized by Google

CLASSEM I.

DE

QVADRUPEDIBUS.

§. X.

Dicuntur QVADRUPEDIA habere corpus *piloſum* p); pedes *quatuor* q); fœminas eſſe viviperas, lactiferas.

Dubia ad §. X.

p) Jam vero Armadhillo (ne dicam de Rhinocerote, Hippopotamo & aliis) licet fœmina vivipara, lactifera, non eſt piloſus, ſed fortiter loricatus, ita ut in globum contractus monticola in valles ſe præcipitare audeat; auditqve Dno *Autori: Erinaceus loricatus;* videtur itaqve ad Claſſem Imam non pertinere, etſi qvadrupes ſit.

q) Sic Teſtudines, ranæ & lacertæ *revera quatuor pedes* habent, nec licet ſint corpore piloſo, nec fœminæ viviparæ, lactiferæ, ſed oviparæ; & amphibia audiunt Claſſe III, qvæ fovet reptilia & ſerpentia; hæc pedibus carent, illa non; cum tamen & *Talpæ*, *veſpertiliones*, *muſtelæ* ſimiliter ac *lacertæ* Claſſis IItiæ repere, ſerpere, vel *glirium* ad inſtar gliſcere videntur.

§. XI.

Primi ordinis ſunt: ANTROPOMORPHA; dentes primores utrinqve qvatuor, aut nulli. ORDO I.

Genus 1. HOMO; Noſce te ipſum r).

2. SIMIA; os dentatum; pedes pendactyli, ſcandentes s); mammæ pectorales.

3. BRADYPUS t); os edentulum; pedes ſcandentes; mammæ duæ pectorales.

4. MYRMECOPHAGA u); os edentulum; pedes incedentes; mammæ octo abdomidales; ventrales 6, pectorales 2.

Dubia ad §. XI.

r) An homo de animalibus diſponens inter *Antropomorpha* locandus, ſub judice lis eſt; ad male moratos homines qvadrat monitum *optimi autoris:* Noſce te ipſum, an ſis homo vel antropomorphus. Vereor, ne *Jo. Bapt. Porta* improbe dixerit hominem KNODALOMORPHON.

s) Qvo ſenſu Doctiſſimus *autor* vel ſcandentes vel incedentes animalium pedes vocitet, non ſatis comprehendo. Incedere & ſcandere poſſunt Simiæ, ſed & ſaltare; feles ſcandere non dixerim; involant in arbores murosqve; ſic canis, qvi pedes habere dicitur incedentes & curſorios, involare poteſt in muros, inprimis, ſi talia facinora patranda edoctus fuerit. Meo qvalicunqve judicio vocabula: *ſcandere*, *incedere*, *currere* ita non ſunt comparata, ut genera illuſtrare queant. Omne animal pedatum incedit, proqve viribus currit, licet non omne animal ſcandat.

Hoc loco Dominus *autor* qveritur: Simiarum ſpecies deſcriptas non eſſe, nec earum differentias veras detectas, e. gr. *Papionem*, *Satyrum*, *Cercopithecum*, *Cynocephalum*,. Optandum utiqve foret, ut haberemus *Symiologiam*, qvæ facili manu ex *theſauris regiis Dresdenſibus* componi poſſet. Verum enim vero retineamus modo ORDINEM, qvem conſtruxit Dominus *Linnæus* primum, ſcilicet *Antropomorpha*, eorumqve ſit:

Genus I. SIMIA, cui cauda vel nulla vel perexigua, ſive curta ſuppellex, ungues omnes humanis ſimiles; capite magis alto, qvam elongato.

Genus II. CERCOPITHECUS, qvi notabiliter caudatus; aliis ungues plerumqve omnes acuti; aliis ſimiæformes, capite magis producto, qvam elato.

Sic rem habebimus expeditam, & qvidem ſalva manente antiqvorum autoritate; nam *Cercopithecus* eſt *Simia caudata*, a κέρκος qvod caudam, & πίθηκος, qvod Simiam aut Simium ſignificat; conf. *Wotton. cap. LXXVI. fol. 58.* *Papio* igitur & *Satyrus* ad SIMIAS, *cynocephalus* & ſimiles ad CERCOPITHECOS pertinent; ſunt enim inter cercopithecos *barbati*, *leonicipites*, *caniformes* (κυνοκέφαλοι, κυνοπρόσωποι) Galeopithecculi, Callitriches antiqvorum, albi, belliſſimi, ſed adeo teneri, ut niſi amiculo pelliceo foveantur, aut ſinu geſtentur & aliarum differentiarum, omnesqve inſigniter caudati. Horum præ Simiis major copia eſt. Inter SIMIAS reliqvas antecellit *Satyrus* (fortaſſis ſignit *Eſaiæ XIII. & XXXIV.*) homo ſyl-

ſylveſtris, vir Sylvarum, alias *Ourang - Outang*, Qvoinsmorrou; Baris ſive Barris, pygmy guineenſis, Chimpanzee *anglis*. Maris & fœminæ figuras vid. *Deſcription of ſome curious and uncommon creatures omitted in the deſcription of three hundred animals; London 1719. in Oct.* & fœminæ ſingularem iconiſmum *Londini 1739* nominibus illuſtris Domini *Hans Sloane* inſcriptum; hanc tandem mortuam Dominus *Ranby* præſente Dn. *Hans Sloane* aperuit; marem vero ante 42, & qvod excurrit, annos D. *Edw. Tyſon* cultro anatomico ſubjecit. Hujus deſcriptio in *Tulpii obſervat. med. Lib. III. cap. LVI. & Schotti Phyſ. cur. Parte II.* Eſt qvoqve *Simius* & Africanus & Americanus, qvi vocatur the African *Mans-Tiger* of the bigneſſ of a large Ape or Babooa; *Supplement to the Deſcription of 300 animals London 1736.* & plures, de qvibus multi dubitarunt, an ad Simias an ad Cercopithecos ſint referendi, an vero genus proprium conſtituant? Inter CERCOPITHECOS præcellit omnium minimus: Gagui minor *Marcgravii*, Cercopithecus Braſilianus SAGOUIN dictus *Cluſii Exot. p. 372. & Nierembergii H. N. IX. p. 177*, qvem vivum Ulyſſipone Gedanum adduxit Gener. *Dn. de Fontenet*, Colonelli vices gerens. Deſcriptionem hujus animalis lege apud *Cluſ. all. l.* cui facies leonina videbatur, cum vetulæ potius faciem imitetur. *Ungues habet acutos in digitis, in pollice latos*, ad inſtar unguium Simiæ. Elegantiorem *Cluſius* vidiſſe non meminit. An *Saguina?* qvem *Cajus rar. anim. p. 79.* deſcripſit: animal parvum ſoricis magnitudine aut non multum ſupra modum puſilli cuniculi, aut arctomyos junioris, colore griſeo, barba fulta & obſcure cinerea, cauda ſoricis operta pilo, pedibus ſciuri, facie cephi ſeu Satyri pene, aure orbiculari, patente & humili, veſtita pilo intus nigro, foris candido, & moribus caudatæ ſimiæ. Alius adhuc ſpeciei mentionem facit *Cluſ.* non majoris Sciuro, ſed nigri coloris, *Cay* dicti; imo *alterius Sagouin*, adeo delicatuli, ut navis in mari agitationem nullo modo ferre qveat, præterea adeo ſuperbi, ut ob leviſſimam occaſionem inedia potius & cibi abſtinentia vitam finire cupiat, qvam minimam moleſtiam perferre. *Prioris Sagouin* exactam figuram anno 1735 ab animali vivo dupliciter ſumi, & qvidem ad naturalem magnitudinem fieri curavimus hocce animalculum lepidiſſimum. Figura altera a latere repræſentat animalculum, mores ejusdem ſimul adumbrans, qvando ſuper dorſo voluptas, mulcente pectunculo, ipſi conciliatur; figuras vel impræſentiarum vel alia occaſione cum erudite curioſis communicaturus. Sic non niſi duo *Antropomorphorum* numeraremus genera: SIMIUM nimirum & CERCOPI-

COPITHECUM (qvos nonnulli autores ad *pamphaga* animalia referunt). De BRADYPO & MYRMECOPHAGA mox. Et mares & fœminæ ſimiæ & cercopitheci mammas habent duas pectorales, & ſi qvatuor habere videantur pauci, revera tamen non ſunt qvatuor ſed duo ſaltim ubera, qvorum ſingula duas papillas habent. Vidi plures; & vivum habeo adhuc cercopithecum Ceylanenſem puſillum, marem, mammarum imitamentis antropomorphum.

t) Sive *Ignavus; Tardigradus; Ai;* der Faule; *Loyart; Unau. Jo. de Laet Lib. XVI. cap. XV. p. 619.* Nunqvam vidi, nec legi, Ignavum *ore edentulo. Rajus Syn. p. 246.* ſic: „Dentes haud magni in- „ſtar agni, nec acuti, *Cluſio* lati, in anterioribus pedibus tres, „in poſterioribus duo digiti (alii etiam tres pinxerunt), unguibus „longis acutiſſimis„. *Marcgravius Lib. IV. cap. I.* in fine: „Male Geſnerus ipſi *Arctopitheci* nomen indidit, *nihil enim commune „habet cum ſimiis„;* multo minus cum homine, ut *Antropomorphus* dici poſſit. Conferatur *Marcgravii* figura, qvæ dentatum exhibet ignavum; ſimiliter nec

u) Myrmecophagam, ſive venatorem formicarum, aut Tamanduam Guacu *Marcgr. p. 225.* Antroponiorphum dixerim. Batavi animal vocant Mieren-Eeter. Sunt Tamanduarum variæ ſpecies, tam forma qvam colore diſcrepantes; vid. *S. D. H. L. hiſtoriam Surinam; Sebæ Th. R. N. p. 60. Tab. XXXVII;* omnium maximum *ibid. Tab. XL.* Habui minorem, Tamandua-i braſil. Majoris deſcriptio apud *Marcgravium:* „Animal magnitudine canis Laniorum, *capite tereti, promuſcide longiſſima & ore acuminato,* eden- „tulo *(unicum* enim eſt animal qvadrupes piloſum *edentulum) lin- „gua tereti & longa inſtar ſubulæ,* plerumqve 25 aut 27 digito- „rum, *capitis cum promuſcide longitudo* unius pedis, vel etiam major;„. Ex hac deſcriptione palam fit, hoc animal æqve parum Antropomorphum aut Arctopithecum dicendum eſſe, ac Ignavum.

§. XII.

ORDO II.

Secundus ordo: FERÆ w). Dentes acuti; primores utrinqve ſex; canini longiores.

Genus 1. URSUS x); mammæ duæ inguinales; pedes 5-5 y) ſcandentes, incedentes, pollice extrorſum locato.

2. LEO; mammæ duæ ventrales; pedes 5-4, ſcandentes z).

3. TI-

Digitized by Google

3. TIGRIS; mammæ qvatuor, umbilicales; pedes 5-5, ſcandentes aa).
4. FELIS; mammæ octo, pectoralibus 4, ventralibus 4; pedes 5-4, ſcandentes bb).
5. MUSTELA; mammæ plurimæ ventrales; pedes 5-5, ſcandentes; dentes molares utrinqve cc).
6. DIDELPHIS; mammæ octo intra duplicaturam abdominis; pedes 5-5 dd).
7. LUTRA; mammæ --- pedes 4-5, natatorii ee).
8. PHOCA; mammæ duæ umbilicales; pedes 5-5, natatorii; auriculæ nullæ ff).
9. CANIS; mammæ decem gg), pectoralibus 4, ventralibus 6; pedes 5-4, curſorii.
10. MELES; mammæ octo, pect. 2, ventr. 6; pedes 5-5 hh).
11. ERINACEUS; mammæ octo, pect. 2, ventr. 6; corpus munitum ii).
12.* TALPA; mammæ ---- pedes 5-5; manibus majoribus, fodientibus kk).
13. VESPERTILIO; mammæ duæ, pectorales; pedes 5-5; antici in alas expanſi ll).

Dubia ad §. XII.

w) *Feræ* opponuntur *domeſticis* animalibus, qvia liberiore fruentes aëre, diutius qvam domeſtica animalia vivunt. Ergo *Cervus*, qvi longævus eſt, erit *fera*, non *pecus*; *Elephas* foret *fera*, cicuratus *jumentum*, laſtbares Thier; qvanqvam Elephantes in Habeſſinia cicures non fieri teſtetur *Ludolphus Hiſt. Æthiop. I. 10. 32.* Dicuntur dentes *acuti* &c. Jam vero UNCIA ex genere Lyncum *Joannis Caji de rar. anim. hiſt.* ſecundum ordinem Dni. *Linnæi* intrare deberet; ſed conferantur qvæſo dentes ejus, cum dentibus

FERARUM. „Dentes illi *anteriores* hinc inde ſex ſunt, *humanis* „non abſimiles, niſi qvod ex his, qvi in medio collocantur, mi„nores: qvi per extrema, majores ſunt, ut & ſuperiores imis. „His utrinqve dens grandis, acutus, atqve longus eſt, in ima ma„xilla cæteris junctus, in ſuperiori ſpatio disjunctus qvanto dens in„ferior capi poſſit. Grandis ille dens longus eſt digitos Rom. „duos, in ambitu ad radicem non niſi digitis duobus cum ſemiſ„ſe comprehenſus. Denti ineſt cavitas qvædam exilis per totam „longitudinem, qvæ tamen non apparet, niſi rumpatur dens. In„ferior maxilla durum os eſt & rigidum, *tres dentes* habens *ma„gnitudine* inæqvales, ut & ſuperior qvatuor. Inter magnum den„tem & maxillarium primum inferioris maxillæ, ſpatium eſt unius „digiti vacuum, a qvo poſitus ſtatim eſt primus, cæteris duobus „minor. Huic contiguus alius eſt grandior: & poſt hunc tertius „etiam, ſecundo major. In ſumma maxilla, in medio illo ſpatio „inter dentem grandem & primum maxillarem, dens eſt exiguus „admodum & informis, demittens ſe tantum leniter e maxilla, „nullo in inferiore, qvi illi reſpondeat, exiſtente &c. &c.„

x) Dominus *autor* urſo adſociavit *Coatimondi;* hunc vivum & diu mihi valde familiarem habui, geſticulantem, vt vulpes cicuratus, ſeqve manibus meis ita applicantem, ut inverſum attollere potuerim. Tota facies, odor, cauda, reliqva ſunt vulpis, poſteriores pedes, prout felibus vulpibus & ſimiis, ſeſſiles. Ex clariſſ. *Raji* ſententia ad vulpes potius referendus, cum urſo nihil commune habens; vid. *Dn. Perrault Rec. de l' acad. des Scienc. Tom. III. p. 122.* Notandum porro, urſum non duas ſed *qvaternas* habere *mammas;* conf. *Wotton. cap. LI. p. 33.* & alios; Inſuper, qvæ de dentibus, mammis, digitisqve animalium commentatus eſt doctiſſimus *autor*, vel ex aliorum commentariis deprompſit, ad ſeverius examen prius revocanda ſunt, qvam numero, ſitui & qvalitatibus illorum calculum noſtrum tuto feramus; facile enim ſubrepere poteſt error calculi, qvem & in botanicis offendimus cum aliis rei herbariæ cultoribus; ideo tamen non vitiaret juſto juſtius ductam rationem error calculi.

y) *Plinius XI. 43.* „qvibus ex *rapina* victus, *qvini* ſunt in prioribus „pedibus, reliqvis *qvaterni; Leones, lupi, canes* & pauca alia in „*poſterioribus* qvoqve *qvinos ungues* habent, *una* juxta cruris „articulum dependente: reliqva qvæ ſunt minora, digitos qvinos„. Cum tamen nec omnes canes in poſterioribus pedibus vel qvinos vel qvaternos habent digitos vel ungues; ex. gr. Caniculi, qvibus

ad

ad venationem Taxorum utimur (Dachs-Hunde) non niſi qvatuor habent digitos poſteriores, in anterioribus pedibus, præter qvatuor digitos & pollicem, adhuc ſextum pollice ſuperiorem, ſed exunguem; *Mopſi* carent pollice in pedibus poſterioribus; ut prætereamus plures; & contra canes qvam plurimi qvinqve digitis ad pedes poſteriores ſunt inſtructi, qvorundam pollices ſunt unguibus lyncum ſimiles, haben Fuchs-Klauen.

z) *Leones* ſcandere, ſteigen, aufſteigen, non novi; nunqvam in arbores, licet in montes, ſcandunt, vel aſcendunt, in valles & declivia deſcendunt; hoc omnibus animalibus commune eſſe poteſt, illud non omnibus. *Wottonus cap. LXXX.* ita de Leonibus: „In cruri„bus poſterioribus talum gerunt in anfractum tortuoſum; pedes „priores qvinis diſtinctos digitis habent, „poſteriores *qvaternis*,„ „*(vid. tamen notam y) credibile enim eſt, Plinium in Amphitheatris & „in caveis plures præ Wottono vidiſſe & obſervaſſe Leones)* „ungues „eis adunci, qvorum mucrones cum ingrediuntur, vaginis cor„porum claudunt, ne acumina attritu retundantur *(vid. ſupra §. „ſ.)* nec niſi appetendo prætenduntur. *Pedatim incedit* LEO, *hoc „eſt*, ut ſiniſter pes non tranſeat dextrum, ſed ſubſeqvatur.„

aa) Neqve *Tigris* proprie ſcandit in ſubreptum, vel aſcendit in arbores, qvam facultatem nimirum præ Leone habet, ſed per ſaltum in illas involat, exinde prædam prætereuntem obſervans, illico ſuam; non tamen mallem dicere pedes Tigridis ſaltantes.

bb) Clariſſimus *Rajus*, natura duce congrue conſtituit *genus felinum:* aſcendendo a *felibus* ad usqve *Leonem;* & ſi ſcrupuloſius ſis, qvid obſtaret, qvo minus Leoninum genus ſubſtituere poſſis, deſcendendo usqve ad feles domeſticos; vide *§. ſ. ſupra.* Facies externa omnibus ſimilis eſt, pedes ſimiles; inſuper omnes tremendæ ſunt velocitatis, omnesque maligni. Lynces & feles non unius ejusdemqve ſunt ſpeciei; illi altis incedunt pedibus, caudam habentes truncatam, feles incurvatis & demiſſis fugiunt fugantqve; cum Tygride potius qvam cum Lynce comparandi, qva faciem, pedes caudamqve.

cc) *Muſtela* appellatur, qvaſi mus longior, muribus tamen inprimis inſidioſa. *Rajus* ſeparatum a felibus & gliribus habet *muſtelinum* genus; e contra *Wottonus* viverras, muſtelas & felem uno capite *LXXXVI.* complectitur.

dd) Tota facies & forma *gliris* eſt; cauda omnino *Ratti.* In inſula Suri-

Digitized by Google

Surinamenſi, teſtantibus literis *Dni Frederi*, ibidem olim præfecti locum tenentis 15 Sept. 1731 ad me datis, vulpis vices ſubit *Didelphis*, volatilibus perqvam fatalis. Et qvidem *ungues ejus ſingulares* ſunt, ſimiarum unguibus ſimiles. *Feuilleus Obſ. phyſ. III. p. 206.* appellat hocce animal *Manicou*.

ee) Qvas amplas ſtrages in piſcium vivariis *Lutra* committat, non opus eſt verbis; quidni dixeris *amphibium* potius, qvam *feram*. Multis creditur piſcis, qvo modo & Pupinus avis piſcis eſſe dicitur & habetur; *Cajus de can. britan. p. 14. Ælianus* & *Aetius* Lutram vocant κύνα ποτάμιον & credit *Cajus* qvod per inopiam piſcium Lutra excurſiones in terram faciat, atqve agnos laniet rurſusqve in aqvam ſatur redeat; id nunqvam expertus ſum, nec ſimile qvid à Colonis & venatoribus audivi. Et anteriorum & poſteriorum pedum digiti cute interdigitali conjuncti, ut anſerini pedes dici poſſint, cum *Caſtor* ſaltim poſteriores habet palmipedes. Cuniculos ſub terra fodit longiſſimis tractibus in Sylvas a fluminibus vel piſcinis remotas, arborumqve radices tollit, aqvam & piſcinas non niſi prædæ cupidus intrans. Conf. Dn. *Perrault all. loco Part. I. p. 151.* & *Wottonus cap. LXXXVIII. f. 70.*

ff.) Poſteriores pedes habet anſerinos; crucem claudam ut *incedere neqveat*, nedum *ferarum* more in terris vagari. Eſt animal ſemipelagium, non niſi littora abrupta & Saxa maris prominentia, anhelandi, dormiendi, congrediendi & pariendi gratia freqventans. Auriculas externas, prout *Manati*, nullas habens; cum tamen Manati clariſſ. *Artedo* dicitur *piſcis plagiurus; phoca* vero noſtro *autori* fera beſtia; vid *Miſſ. II. de piſcibus*, & figuram Phocæ apud *Dn. Perrault ibid. p. 189.* Mirum, qvod *Artedus* Ichthyologiam reformatus juxta Manatum in Antiqvorum errores inciderit.

gg) Mammæ canum numeris multum variant. Et alia animalia, ut pavibunda ovis, curſorios habent pedes, non tamen ſunt feræ; numne & panthera, caprea, dromas & Cervus velocitate ad curſum valent? Qvando antem canis lupum perſeqvitur, ecqvis, qvæſo, horum fera beſtia eſt? Qvodſi ex mente Domini *autoris* omnes canes eſſent varietates non ſpecies, *lupus*, *vulpes*, *canes leporarii*, *ſagaces*, *moloſſi* forent *varietates*, qvod non dixerim; & *Uri* & *Taur-Elephantes* Æthiopum & *Armenta* provinciæ *Gomaræ* torva tetraqve aſpectu eſſent varietates boum; imo *Tigrides*, *Pantheræ*, *Lynces* varietates *Felium*, vel vice verſa. Conferatur *Jo. Caji de canibus Britannicis libellus.* Poſt annum Domini 959 nullus lupus

lupus nativus in Anglia viſus; qvod hiſtoria fert: *Ludwallum* Cambriæ Principem *Edgaro* Regi 3000 luporum tributi nomine pendiſſe, atqve ita annis qvatuor omnem Cambriam atqve adeo omnem Angliam orbaſſe lupis.

hh) In *mele* Dn. *autor* non obſervavit foramen in inguine; Taxus, Daxus; cujus differentiæ ſunt: caninus & porcinus.

ii) *Tatu* ſ. *Armadhillo* audit *Erinaceus loricatus* de qvo ſupra *§. 10.* vid. Erinaceum Dni *Perrault ibid. P. II. p. 23. Camerarius Embl. 83.* de Armadhillo: LORICA VIRTUS:

Virtus ipſa ſuis firmiſſima nititur armis,
Sævam hyemen fortis ſpernere docta malæ.

kk) Jam vero *Talpa*, qvæ ordinem ferarum ingreſſa eſt, in cuniculis degit ſub terra, qvam fodit, non niſi lumbricos tenerasqve arborum aliarumve plantarum radices tollens. Manus majores habere dicitur, intellige: pedes anteriores manu ſimiles, unguibus productis, vola extrorſum flexa ad fodiendum mira facilitate.

ll) An fera, qvod huc illuc in aëre vagatur? nunqvam terram freqventans, & ſi caſu deciduus in terram, prout hirundo qvæ *apus* vocatur, Mauerſchwalbe, in aërem rurſus ſe attollere nullo modo poteſt, niſi eminentiam lucratus fuerit, ex qva libero aëri ſeſe reddere qveat. Larda in caminis & oniſcos in antiqvorum murorum rimis & ruderibus infeſtat, aliaqve ſibi obvia, naturæ murium accommodata. Non eqvidem habet pedes anticos in alas expanſos, ſed membranaceus proceſſus ex cute abit in alam triqvetram, qvæ involvit oſſiculum articulatum, ad extremum adunco aculeo donatum, ut muris & arboribus adhærere poſſit animal. Confer. Diſſertatio noſtra de ſciuro volante, *Tranſact. philoſ. Anglic. N. 427.*

§. XIII.

Tertius ordo: GLIRES mm). Dentes primores duo utrinqve; canini nulli, mammæ octo ventrales. ORDO III.

Genus 1. HYSTRIX; aures humanæ; corpus ſpinoſum nn).

2. LEPUS; pedes 5-4, palmis curſoriis oo); aures longæ.

 3. SCIU-

3. SCIURUS; pedes 4-5; palmis ſcandentibus, ſaltatoriis pp); cauda lanis diſtincta.
4. CASTOR qq) pedes 5-5; palmis natatoriis rr).
5. MUS; pedes 4-5; palmis curſoriis ss).

Dubia ad §. XIII.

mm) Glires denominationem habent, qvod gliſcere dicuntur.

nn) *Erinacei* totum corpus denſe ſpinoſum, præter ventrem; Hyſtricis corpus in anteriori parte minus ſpinoſum, reliqvo corpore & capite aculeis longiſſimis. *Dominus Perrault* amborum accuratas figuras exhibet. De *Hyſtrice* hæc habet: Ces piqvants couvroient le dos & les flancs. Le reſte du corps etoit couvert d'autres piqvants beaucoup plus deliés, plus courts, plus flexibles & moins pointus, presqve ſemblables à ceux du *Heriſſon*. Le tout etoit entremelé de poils gris-brun, fins comme des cheveux, & qvi naiſſoient à l'entrée des gaines, ou ces piqvants ſont enchaſſés. Cum autem ſimpliciter *Qvadrupedia* habere dicuntur *corpus piloſum* (*§.10.*) an recte *Hyſtrix* glis, *Erinaceus* Fera? Dresdæ in hyſtrice fœmina mammas plane laterales non, ut aliorum animalium, pectorales obſervavi. Auriculæ ſunt potius Simiarum qvam humanæ; vid. Dn. *Perrault Part. II. Tab. 32. k.* Cæterum in extremo utriusqve mandibulæ binos habet dentes prælongos, introrſum incurvatos, extremitatibus obliqve ſciſſis & forficum more ad incidendum aptatis, non planis; molares in utralibet maxilla octo; labium in medio fiſſum, leporini inſtar, *Raj. 207.* de *Hyſtrice Romana*; an propter *dentes anomalos* ad ordinem *Jumentorum* referendus? Hyſtrici *americano* bini *dentes foras* conſpicui ſunt, pedes ſimiarum ſimiles in qvatuor digitos fiſſi; Guanda *Braſil. Margravii.* Tlaqvatzin Spinoſum *Hernandez*.

oo) Sive plantis pedum piloſis vel villoſis, qvibus pilis canes plurimi in plantis carent, pedibus pariter curſoriis imo fugacibus. Nam lepus qvaſi *levipes*, inſigni velocitate præditus eſt. Glires venentur feles. Nonnulli credunt, leporem incerti ſexus eſſe, modo marem modo fœminam, qvod omnino falſum. Sed, qvo referendi lepores corni geri? varietates qvis dixerit? cum ſpecie ab omnibus aliis diverſi ſint. Dubium itaqve manet, an ſint *glires cornuti*, an ad *pecora* referendi?

pp) Le-

Digitized by Google

pp) Lepores ſaltare, imo pedibus, prout Sciurus, geſticulari, omnibus notum, der Haſe ſpringt, tanzt, trummelt, macht ein Männchen; *Cajus de can. brit. p. 12.* „Lepus & ſaltare, & tympanum anteriori„bus pedibus pulſare tympaniſtarum more & canem dente atqve „ungue petere, pedibusqve crudeliter cædere, in Anglia viſus eſt „omnium admiratione„. Ipſe leporem vidi tympaniſtam. Qvidni etiam habeat pedes ſaltatorios, caudamqve lanis diſtinctam prout Sciurus.

qq) Admirandum animal CASTOR (de qvo *Hiſt. acad. Par. 1737. p. 10.* on ne trouve guère parmi les grands animaux qve les CASTORS, qui ayent une de ces induſtries ſingulières & incomprehenſibles à l'eſprit humain) tetragonoproſopon, ſive capite qvadrato, induſtrius architectus, palaria in ipſis fluminibus bicamerata & tricamerata exſtruens, qvandoqve utriqve littori contigua, jactis ejusmodi fundamentis ſtabilibus, ut rapiditate aqvarum inverti neqveant, creſcentibus vero aqvis ex prima in ſecundam vel tertiam contignationem adſcendens, ut ſibi ſuisqve proſpiceret, *Rattus* ſive *Glis* evadit, ſocios mures habens; dentibus anomalis ab omnibus animalibus diſtinguendus; cujus ſpecies dicuntur: *Caſtor* cauda lineari plana, ſive *mus aqvaticus exoticus Cluſii*, & *Caſtor cauda lineari tereti* i. e. *mus major* ſive *Rattus aqvaticus;* illum *Cluſius* ſic deſcribit: „majoris *muris* aut *talpæ magnitudine*, ſeptem „uncias longum a capite ad caudam, *capite* parvo, *roſtri* parte pro„minula unciam longa, eaqve forma, ut *inſtar ſuis* aut *talpæ terram* „*evertere* poſſit„ hic *vulgaris Rattus*, die Waſſerratze. Caſtor præterea animal, prout canis valde manſueſcens; mihi plus ſimplici vice adeo familiaris, ut abſentem ubiqve locorum qvæſiverit, præſenti pediſſeqvus in muſeum usqve; de Caſtore vel Fibro vid. plura apud *Wottonum cap. LXXXVIII. fol. 70; & Perrault; all. loco.*

rr) Saltim poſteriorum pedum palmæ natatoriæ ſunt.

ss) Sunt domeſtici major & minor, Ratze und Maus. Avellanarum major & minor ſpecies ſunt ſciuri, caudam lanuginoſam vel piloſam habentes, prout illi; cum autem *mus araneus* μυγαλῆς, ſive *Sorex* ad mures vel glires pertineat, mirum eſt, qvod ad JUMENTA fuerit relatus.

Digitized by Google

§. XIV.

ORDO IV. Qvartus Ordo: JUMENTA tt). Dentes anomali uu).

Genus 1. ELEPHAS ww); mammæ duæ pectorales; dentes inciſores nulli, canini ſuperiores longi xx).

2. HIPPOPOTAMUS yy); mammæ ingvinales duæ; dentes inciſores qvatuor utrinqve; ſuperiores per paria remoti; inferiores prominentes, intermediis maximis, canini ſolitarii, utrinqve truncati.

3. SOREX zz); mammæ ---; dentes inciſores 2; utrinqve ſerrati, caninis proximi.

4. EQVUS aaa); mammæ duæ inguinales; dentes inciſores ſex utrinqve, canini diſtantes vix longiores.

5. SUS bbb); mammæ decem circiter, ventrales; dentes inferiores qvatuor utrinqve, canini longiſſimi.

Dubia ad §. XIV.

tt) Jumenta grammaticis: laſtbare Thiere.

uu) Caſtor etiam habet dentes anomalos, & Hyſtrix.

ww) Elephanti non aſſociaverim irreconciliabilem, ut fertur, hoſtem *Rhinocerotem*, qvi Dno *autori* eſt: ELEPHAS *naſo cornigero;* ad porcos potius relegandus. Eſt roſtro porcino, oculos non procul ab extremo roſtro parvos, porcinorum inſtar, habens; auriculas porcinas; qvales & Armadhillus; addit *Rajus p. 123.* præterea cum non tantum capite & roſtro & voce porcum referat, ſed & in cœno ſe pariter volutet, qvidni & hac non ruminandi proprietate cum porco conveniat. *Thevenot Vol. II. p. 60. ſeq.* Je n'ai point vu d'animal, qvi en ait une ſemblable (peau) & cela ſe peut juger de ce qu'on ne voit point au Rhinoceros comme aux autres animaux les arti-

articulations, ni les apophyſes ou eminences des os. Cette peau eſt couverte par tout, hormis au cou et à la tete, de petits noeuds ou durillons, ſi fort ſemblables à ceux des ècailles de Tortuës tant pour la forme, que pour la couleur, qu'à la premiere veuë on croiroit, que cet animal eſt couvert d'une telle ècaille ſur le corps — Il n'a que *quatre dents*, *deux en haut & deux en bas*, placèes aux extremitès des machoires — Les Perſans appellent cet animal *El-kerkeden*, le porte corne, ou ayant corne. *Sæpe autor vidit Elephantem & Rhinocerotem ſocios in uno eodemqve loco Iſpahani*, *ſed pacificos non belligerantes* — Ses pieds ſont courts & epais, faits de trois fourchons, ou argots, de corne ſur le devant, & de durillon ſur le derniere. Ex hac deſcriptione animal ad *Claſſam Imam trahi neqvit*, qvod non habet corpus piloſum. Nec qvoqve pedibus, neqve capite nec dentibus ullo modo cum Elephante convenit, cujus tamen ſpecies audit. Adde *Bironem Curioſ. de la nat. & de l'art p. 183.* „Le Rinoceros reſſemble à un „Sanglier plus qu'à tout autre animal.„ Elephanti mammæ ſub armis ſunt duæ vid. *Wottonum* allegat. ſub *§. 7. & Cap. LXVIII. f. 53.* item *Cap. LXXV. fol. 56.* duæ qvidem & papillæ item duæ, verum *non in pectore*, ſed paulo citra ſub armis, qvæ tam mari qvam fœminæ perexiguæ ſunt. *Philoſtratus* & *Ælianus* Elephantes *paluſtres*, *montanos* & *campeſtres* eſſe tradunt, dentesqve optimos, maximos albiſſimosqve campeſtrium.

xx) Extantes & inverſi ſive reflexi in maribus, qvibus non licet mordeant, vehementer tamen incidunt, *Wottonus* appellat reſimatos in fœminis minores, & deorſum vergunt, proniqve deviant.

yy) The River-horſe; Bupotamus, or River-oxe; Waſſer-Ochs; Bomarin; Behemoth *Muſ. Reg. Soc. p. 14.* Non eſt in toto corpore niſi in roſtro, & qvidem aſpere piloſus. *Fabius Columna A & T Obſerv. p. XXXIII.* ungulas qvadrifidas, talum biſulcorum more Hippopotamo eſſe ſcribit, effigiem ex Apro ad bubulinum vel urſinum magis accedere; cutem admodum craſſam, duram, colore pullo & multum rugoſa ſuperficie, ut *noſtræ manus cutis ſuperior in ſtellas interſecta.* Primum Bellonius hujus animalis iconiſmum dedit, *Columna* meliorem deſcriptionem, imaginem minus accuratam; *Ariſtoteles* jubam in collo finxit; *Kircherus* falſo dentes eqvinos habere aſſerit; mammas non legi, nec præter ſupra dictas figuras *Bellonii* & *Columnæ*, plures vidi. Dn. *Juſſieu* Obſervat. ſur quelques oſſements d' une teſte d' hippopotame, *Mem. de l'acad. 1724:* Les Siecles — ne nous ayant ni detrompè du

du merveilleux de cet animal, ni guere mieux inſtruit de ſa figuré & de ſon caractere, nous ne pouvons encore rien adjoûter à ce que Pline en a dit — Quoique Belou nous en ait donné le deſſein - & Fabius Columna - un autre, neanmoins quelque exacts que ſoient ces deux auteurs, ils ne ſont point aſſés d'accord ſur la configuration de toutes les parties d'Hippopotame &c. Sic in dubitationem adductis *figuris duabus*, habemus tertiam a famato Niedenthalio in Bibliotheca Schrœderiana depoſitam; neſcitur eqvidem, unde acceperit, ſatis tamen accuratam figuram & faciem animalis eſſe hariolamur, qva caput, rictum, nares literæ S imaginem referentes, pedes quadrifidos unguibus corneis rotundatis, ungulas mentibus, qva Corium & reliqva. Qvod autem *Rajus 125.* miratus eſt, digitos hujus Amphibii membranis junctos non eſſe, admirationem nobis injicit, qvippe & Crocodilus, animal pariter amphibium, fiſſos habet digitos, non conjunctos membrana. Cæterum *Jonſtonus præfat. de qvadrupp.* corium Hippopotamo tam craſſum aſſerit, ut inde tornentur haſtæ. Ex adductis itaqve patet, animalis corpus non eſſe piloſum.

zz) Neqve *Soricem*, die Spitzmaus, qvæſiviſſem inter jumenta; *Columellæ* Scytale audit, animal eſt ore oblongo, roſtri porcini ſimilitudine, cauda parva, *dentes* habet *exiguos* & *utraqve maxilla duplici ordine* digeſtos; indeqve fit, ut a mure araneo morſi facillime dignoſcantur, qvadruplici namqve ordine morſus impreſſo cernitur. Nonnulli murem araneum e fele & mure generari ſcribunt; qvod abſurdum.

aaa) Solidungulus eſt eqvus, hunc pro jumento agnoſcimus. Notiſſimum præterea eſt, qvam ægre ætates eqvorum a dentibus determinare liceat in arte non ſufficienter verſatis, wenn das Pferd die Zähne ſchaubt, geſchoben hat, Hacken hat, keine mehr hat 2c.

bbb) Sus eſt animal vere biſulcum; & licet non jumentum, tamen *Babirouſſa* recte ad genus *porcinum* vel *aprorum* refertur, etſi dentes ejus anomali non eſſent.

§. XV.

ORDO V. Qvintus ordo: PECORA ccc) Dentes inciſores inferiores præſentes, ſuperiores nulli ddd); molares utrinqve; mammæ inguinales; pedes ungulati eee).

Genus

Digitized by Google

Genus 1. CAMELUS; cornua nulla fff).
2. CERVUS; cornua annua ggg); primum piloſa, dein nuda, ſolida, ab apice creſcentia, plurimis ramoſa, feminis rara.
3. CAPRA hhh) Cornua concava, ſurſum verſa, erigata, ſcabra.
4. OVIS iii) Cornua concava, retrorſum flexa; intorta, rugoſa.
5. BOS; Cornua concava antrorſum verſa, lunulata, lævia kkk).

Dubia ad §. XV.

ccc) *Pecora* κνωδαλῶν nomine veniunt; provincialibus: allerley Vieh; qvadrupedia varia in ruſticorum inventariis connotanda, boves jumenta &c.

ddd) Inciſores ſuperiores ad certos annos nonnullis pecoribus durant præſentes, in qvorum loca ſuccedunt gingivæ calloſæ; vid. *ſupra §. 7. not. l)*, & *§. præced. not. aaa).*

eee) *Sus* habet pedes ungulatos, & unicum animal, qvod nec pecus, nec fera (ut apri ſylveſtres) ſed jumentum propter dentes; interim tamen porci ſuesqve inventariis colonorum inter pecora inſcribuntur.

fff) Topho unico dorſali nomine proprio eſt *Camelus; Dromedarius* habet tophos duos. Recte qvod non habeat cornua, cum tamen reliqva pecora ſint cornuta; nec biſulcus vel ungulatus eſt, licet pedes bifidi ſint; vid. *ſupra §. 7. lit. n.* Mammas habet inguinales duas cum papillis qvatuor; *Wottonus cap. LI. fol. 33. & LXVIII. f. 53.*

ggg) Ex voto ruſticorum pecus; a magnatibus nobilitate donatus. Sed, qvidſi per ætatem vel etiam tempore congreſſus venerei juxta cornua aut ad genitalia læſus (ne dicam, ſi tempore, qvo cornua perfecta ſunt, caſtratus fuerit) durante vita non amplius deponat cornua, depoſitis autem cornubus caſtratus, nulla amplius protrudat; conſ. *Wottonus cap. XCV. fol. 79.* Tragelaphus, me judice, rectius ad hircinum genus referendus, & ſi barba hircina

careat;

Digitized by Google

careat; hujus deſcriptionem ex autopſia vid. *Miſſ. IV. de piſc. §. V. lit. d.* Caprorum genus indicat pilus aruncus, figura corporis, facies hircina, cornua, vel in adverſum adunca vel in averſum acta. Buculam Cervinam *Caji rar. anim.* ad Cervinum genus potius qvam ad bovinum pertinere judicamus. Alcium eqvidem cornua ſolida ſunt, tornatoribus in uſu, non cervorum cornua, utpote intus poroſa, nec a certo vermiculorum genere libera & plerumqve non niſi in officinis pharmaceuticis uſitata.

hhh) *Levit. IV. 23. & 28.* Hircus caprarum mas, & capra de grege caprarum fœmina; caſtratus Caper; pullus Hœdus. Dantur Capræ hirciqve excornes hůmlige Ziegen, Böcke. Caprorum ſpecies Doctiſſ. *autor* optime indigitavit; *Moſchi capram* non habet, cui ſunt dentes anomali; de hac *Serapio:* „Capræ peregrinæ figura, „colore, cornubus ab aliis *non diſſident*, ſed *dentibus tantum* ca„ninis *diſcrepant*, qvos binos & verreo more exſertos palmi lon„gitudine gerunt,„ & *Avicenna:* „duos dentes albos habent intro „reflexos, tanqvam duo cornua„ *Paulus venetus:* „Dentes eiqva„tuor, bini ſupra, & totidem infra, longitudine trium digito„rum„; molares non habere dicuntur nec inciſores. Qvod ad molares attinet, autores in errore verſatos eſſe credimus.

iii) vid. *ſupra §. 7. lit. l).*

kkk) Rectiſſime *Urus* ſpecies eſt generis *bovini* non varietas. Bos, potius Taurus, animal domeſticum eſt, Urus taurus ſylveſtris vel ferus; canis animal domeſticum, lupus canis ferus. Nec obſtat, qvod canes domeſtici degenerare poſſint in canes feros, ſed caſus vix dabilis; Supponas enim, neceſſe eſt, in qvadam regione exſtirpatos homines, ſolis canibus ſuperſtitibus; & qvid tum, differrent tamen ſpecie canes & lupi inter ſe, qvousqve amborum familiæ integræ manerent.

§. XVI.

Hæc ſunt, qvæ inter lectionem *Claſſis Imæ* de QVADRUPEDIBUS mihi oborta dubia. *Claſſis II.* de *Avibus* diſponit, de qvibus alibi. Modo lectione curſoria ſuſcipimus.

CLAS-

Digitized by Google

CLASSEM III.

DE

AMPHIBIIS.

§. XVII.

AMPHIBIA α) doctiſſimus *autor* mox diſtribuit in ORDINES duos, poſtqvam in *ſpeculo Regni animalis* illa deſcripſerat, qvod habeant *corpus nudum* vel *ſqvamoſum* β); dentes molares nullos γ), reliqvos ſemper δ); pinnas nullas radiatas ε); ſuntqve duorum Generum: REPTILIUM & SERPENTIUM.

Dubia ad §. XVII.

α) *Amphibia* audire ſolent animalia aqvas & ſiccum freqventantia. Supervacaneam hanc claſſem fore paſſim in *Miſſ. Hiſt. piſc. natural. promov.* indigitavimus, inprimis *Miſſu IV. §. I. not. b).*

β) Intellige: *vel* nudum *vel* ſqvamoſum. Jam vero *vacca marina*, ſive mors, morſus, vel Obodenus aut Phoca dentibus caninis exſertis D. *Linnæi*, Phocæ plures, manatus, Caſtores ſ: Fibri, Lutræ, mures aqvatici, omnes in terra vitam trahentes, ex aqvis vero victum petentes, corpora nec habent nuda nec ſqvamoſa, ſed piloſa, ſuntqve lactifera, & vivipara non ovipara; ergo deſinunt eſſe amphibia, aqvas & ſiccum freqventantia, & inter qvadrupedia, qvæ aqvas non freqventant, relata, cum tamen nec per dimidium diem aqvis carere poſſunt, victum ſuum vix ac ne vix qvidem in ſicco offendentia. Unicus *Manatus* ab *Artedo* piſcis factus.

γ) An Teſtudines & Lacertæ dentes molares habeant nec ne, vel digito vel cultro anatomico opus eſt, ut experimenta inſtituantur; qvod proprie ad methodum Zoologicam non pertinet; hæc docere debet, obvia animalia, vel peregrina, nunqvam antea viſa, ab evidentibus characteribus dignoſcenda & denominanda. Qvodſi autem ſcire cupimus, qvibusnam dentibus natura ejusmodi animalia inſtruxerit, utiqve intereſt, ut ora talibus vel violenta manu aperiantur.

Digitized by Google

δ) Non ſemper; multi enim lacerti terreſtres edentuli ſunt, ut Dracunculi volantes; Salamandræ, Chamæleones, plures; imo & teſtudines qvidam dentibus carent; petites tortuës n' *ont point* de dents, *Monſ. Petit mem. de l'academie des Sciences 1737. pag. 169.* Salamandram neqve cutem neqve ſqvamas habere vid. *Leonic. ad Nicandr. p. 52.*

ε) Cum tamen *nec* habeant pinnas *non radiatas.* Sed forte ranæ pedes poſteriores, & pedes qvatuor Teſtudinum marinorum pro pinnis ſumi poſſunt. Aſt tunc Fibri & Phocæ poſteriores, Lutræ vero pedes qvatuor forent pinnæ non radiatæ.

§. XVIII.

ORDO I. Ordo I. REPTILIA ζ); qvæ ſunt pedibus qvatuor & comprehendunt Tria genera:

Genus 1. TESTUDO; corpus caudatum, teſta η) munitum.

2. RANA ϑ); corpus caudatum λ); nudum, ſqvamis deſtitutum.

3. LACERTA μ); corpus caudatum, nudum, ſqvamoſum.

Dubia ad §. XVIII.

ζ) Sunt, qvi & piſces repere & ſerpere ſuſtinuerunt, vi vocum *Scherez* & *ræmes*, reptile, ſerpens, *Gen. I. 20.* abunde gignunto, vel ſerpere faciunto aqvæ reptile, animam viventem; & *verſu 21:* Creavitqve Deus Balænas & omnem animam viventem, *baromæſeth*, reptantem, qvam aqvæ repere fecerunt per genera ſua; ex verſione Lutheri: Es errege ſich das Waſſer mit webenden und lebendigen Thieren —— und GOtt ſchuf groſſe Wallfiſche, und allerley Thiere das da lebet und webet, und vom Waſſer erreget ward, ein jegliches nach ſeiner Art. Verum *Ambroſ. Hexaem. L V.* „Omne, qvod natat, re„ptantis habet ſpeciem vel naturam. Nam etſi in profundum cum „ſe demerſerint, aqvam videantur ſindere, tamen cum ſupra in„natant, repunt toto corpore, qvod trahunt ſuper qvædam dorſa „aqvarum; etiam amphibia, qvæ pedes habent, & ambulandi „uſum, tamen cum in alto aqvarum ſunt, non ambulant, ſed na„tant, nec veſtigio utuntur pedis ad incedendum, ſed tanqvam „remo ad reptandum„; putant itaqve melius definiri aqvatica, qvod

in

in aqvis ſerpant, qvam qvod natent. Similiter de aligero genere qværi ſolet, an aves ſerpant repantve, an vero natent volitentve, findentes alis fluidum aëreum? ſed inutilis hæc qvæſtio eſt, nec hujus loci, brevibus licet expediri poſſit. *Scaliger in Poet. V.* motum reptilium fluctuabundum ait.

ι) Non facile TESTAM dixerim Teſtudinis tegmen mere oſſeum, qvadratulis corneis & coctilibus teſſellarum; de *problemate:* an Teſtudines tegmina ſua deponant, vid. Dn. *Petit all. loco p. 160. 161.* & de Teſtudinum maxillis *eund. ibid. p. 159. ſeq.* „Chaque machoi-„re eſt revetuë d'un cartilage qvi forme pluſieurs rangs de dents, „ou pour mieux dire, *de dentelures decoupées*, ou *entaillées en* „*forme de ſcie:* uti in *Chamæleone* vid. not. μ): plus profondement „les unes qve les autres. Il y en a trois rangs à la machoire ſupe-„rieure; le premier eſt ſur le bord exterieur de la machoire, les „deux autres ſont au palais — La machoire inferieure — a qva-„tre rangs de pareilles dentelures de chaqve côté — lorsqve la „tête a été cuite, les cartilages ſe ſont detachés conjointement „avec la peau du muſeau — les dentelures ſont entaillées dans „les os des machoires de la meme maniere, qu'elles les ſont dans „le cartilage, dans lesquels elles s'emboitent, mais elles ſont plus „petites„ Itaqve *Teſtudo* nec molares nec reliqvos dentes habet, qvi revera dentes ſint, ſed maxillas ferratas, qvibus cibum conſumunt, qvaſi ambæ maxillæ & qvidem integræ dentes morales eſſent, qvibus cibum conficiat vid. not. δ) de plane edentulis teſtudinibus parvis.

ϑ) Cujus ſpecies: *Bufo*, *rana aqvatica*, *rana arborea.* Perpauci bufones & non niſi indici, aqvatiles ſunt; noſtrates inter rudera murorum, in rimis ſaxorum (imo, ut fabulæ ferunt, in ipſis ſaxis) in cellis, in fimetis, in terra habitant, nidulantur, adeo impatientes ſunt aqvæ. Senſu itaqve communi non ſunt amphibia; confer. *Aldrov. de quadrup. digit. ovip. p. 613.* Rana arborea nunqvam ingreditur in aqvam, nec appetit, niſi rorem a gramine & foliis, interdiu & noctu arbores freqventans, habet enim pedes omnes ſcandentes non natatorios. Paradoxon vero audit: *ranam repere* vel *reptile* eſſe *animal;* nam nemo non novit, ranas ſaltare; poſſent igitur dici, habere pedes ſaltatorios.

λ) Eſt error Typographicus. *Ranæ* in ſtatu perfecto nullæ ſunt caudatæ. *Aldrovandus* eqvidem *caudatos* exhibet *bufones*, ſed addit: *fictos* a circulatoribus; alterum *alleg. loco p. 611.* alterum *p. 612.* In *prima editione ſyſtematis* ranæ habent corpus *cauda deſtitutum.*

Digitized by Google

μ) Plurimi non habent ſqvamas; Alii habent vel membranaceas vel cutaneas, Crocodilorum clypeos ſi exceperis, utpote, qvi durioris ſunt ſubſtantiæ; nec omnes lacerti, præter illos qvi caudam habent compreſſam, aqvam ingrediuntur, qvin potius abhorreant; ergo non omnes ſunt *amphibia* i. e. in *aqvis & in ſicco viventia.* Præter reliqvas Salamandras aqvaticas conferatur elegans Salamandre aqvatiqve & noire du *P. L. Feuillée Obſerv. phyſ. I. p. 319.* Sa longueur depuis ſes levres jusques au bout de ſa queue etoit de quatorze pouces ſept lignes, *ſa peau ſans ecailles* — delicatement chagrinée, *ſemblable* à celle des *Cameleons* qu'on apporte d'Alexandrie; ce que cet animal a de plus ſingulier, eſt la queuë &c. *Chameleonem* idem *autor Tom. III. pag. 16.* appellat lacertum Cameleontidem & differentias inter Lacertum ac Camæleonem ponit in eo: „Il en differe par deux eminences, l'une ſur la partie ſuperi„eure de la tête, l'autre ſur le dos: le lezard au contraire a le deſ„ſus de la tête fort plat, ainſi que le dos &c. *pag. 41.* tamen obſervavit Lacertum minimum variegatum: „n'aiant pas plus d'un „pouce & demi de long; ſa figure etoit la meme qve celle des au„tres Lezards, mais ſa tête etoit *un peu plus pointuë;*„ conferatur *ejusdem* deſcriptio: Lacerti *criſtati* cauda longiſſima *ib. p. 134.* Draconem vel Dracunculum volantem mutare in amphibium, idem eſt, acſi dixerim, veſpertilionem eſſe amphibium, licet veſpertilio habeat corpus piloſum, dracunculus non. In aëre volitant, Javæ in inſula, innocua hæc animalcula, pedibusqve incedunt, non niſi e captura muſcarum victum ſibi qværentes; plane edentuli ſunt, prout etiam *Salamandræ cauda tereti*, ſive terreſtres, nec non *Chamæleo*, qvi nec dentes molares nec reliqvos habet, ſed mandibularum oras integras ſerratas (conf. lit. η) de *Teſtudine*) ita ut innumerorum dentium ſimulacra numeraveris; vid. iconem Chamæleonis apud Dn. *Perrault P. I. planche 6.* & *Olear.* G. K. K. *Tab. VIII. fig. 2;* perperam ex ſolo aëre vitam & nutrimentum trahere perhibetur. *Scincus* in mari vivit, & omnes lacerti cauda compreſſa aqvas ſalutant. *Crocodilus* notorie terram freqventans amphibius eſt, dentes habens 38 in mandibula ſuperiore, 30 in inferiore, in ſumma 68, omnesque ſubulæ-formes, pectinatimqve coëuntes.

§. XIX.

ORDO II. Ordo II. SERPENTIA. Pedes nulli; qvorum celebris *autor* habet unicum Genus: ANGVIS ν); corpus ſqvamoſum ϱ), teres.

Dubia ad §. XIX.

ν) *Scaliger comm. 3 de anim. cap. 23.* nomen derivat ab ἄγχω, a tenuitate & proceritate corporis funiculi qvaſi filo diſtracta. *Cardanus* & *Iſidorus* prodidere, ſerpentibus eſſe coſtas pro pedibus & ſqvamas pro unguibus. Sqvamas qvoqve pro pedibus eſſe *Ceraſtis* circa ventrem ex ordine obſitas, ait *Aëtius Tetr. 4. c. 24;* & in regione *Caraiam* ſerpentes eſſe, qvibus loco pedum ſunt ungues leoni ſimiles; teſtari voluit *Paulus Venetus* apud *Geſnerum;* adde *Scaligerum in Comm. 2. de anim. c. 13.* & *Severinum de vipera pyth. p. 216*, qvi in *Zootome:* „animantibus, ſtructura præſertim abſolutioribus, „etiamſi videantur deeſſe nonnulla aliqvando, partes tamen his „ſemper eſſe analogas„ qvod ad pedes anguium analogos applicat *autor;* conf. *Hieron. Fabritium*, *de greſſu animantium* & lib. *de reptatu.* Linqvimus ingenioſas doctasqve meditationes nec non multas, qvæ in hiſtoriam ſerpentium irrepſere, fabulas. Nuda autopſia docet: Angues non habere pedes, qvod & ſacræ paginæ volunt, ideo tamen non omnia ſerpentia ſunt amphibia i. e. ex communi ſenſu, aqvam & terram freqventantia. Plurimi ſerpentes terreſtres ſunt, fluida fugientes. *Hydræ*, proprie dictæ, & non fabuloſæ, qvod pinnas & branchias occultas habent, ſunt *piſces* vid. *Miſſ. III. de piſcibus.*

ξ) Multi ſqvamis carent; alii Cordylorum more; rurſus alii lúbrice ſqvamoſi. Alii ſingularibus dentibus caninis lethiferisqve gaudent, & *viperæ* ſunt, alii pectinatis mandibulis, vel gula, alii aciculis dentati; ex his colubri coria non mutant; prout nec mutant Amphisbænæ cute exſqvami & annulis quaſi *inſecta* alii exuvias qvotannis deponunt; de dentibus & de veneno viperarum, vide præter *Redi*, *Severinum*, *Tyſonem*, *Charas* & alios autores *P. L. Feuilleum Obſerv. phyſ. III. p. 124. ſeq.*

§. XX.

Circa finem monitum addit Celebris *autor* ſeqvens: Amphibiorum Claſſem ulterius continuare noluit optimus Creator; hanc enim claſſem tam late patentem, qvam cæteras (*) ſi reddidiſſet Creator, & ſingula genera veneficio & malignitate in tantum perrexiſſent (**), in qvantum cœperunt, uti omnibus mortalium exitio fuiſſent, & baſiliſci, & Dracones & Hydræ & ſexcenta (***) pejora prodiiſſent.

 (*) Non-

Digitized by Google

(*) Nonne ſatis patens eſt ordo Serpentium? amplior ſane, qvam tota Claſſis QVADRUPEDUM.

(**) Non me decet, decempeda rationis DEI providentiam emetiri. Omnipotens, Sapientiſſimus, optimus, acqvievit in virtutibus ſuis, abſoluta creatione mundi, & animalium qvæ voluit eſſe hujus globi terraqvei. Perluſtrabat etiam omnia opera ſua, *& ecce, omnia erant bona*, etſi mortales angues omnes nigro notarent carbone; tantum abeſt, ut opera ſua, ſi plura, vel ad regnum animale, creando manifeſtaſſet, homini exitio fuiſſent. Et qvis modo eſt inter mortales, qvi finita ſua ſapientia omnes anguium virtutes determinare valeat, præter pauciſſima pharmaca, qvæ ex iis parari ſolent? & qvare non etiam Tygrides, Leones, urſi, lupi, plura qvadrupedia tanqvam magis exitialia mortalibus commendantur, utpote longe magis maligna & exitioſa anguibus, vel qvod præ his pedata ſunt. Si viperæ morſum expertus, ſpem omnem nondum perdidi, me ſalvum fieri; ſi in amplexus Tygridis incurrerim, ſpes redeundi nulla, ni miraculum flagitarem. Hoc novimus: *ranas*, *locuſtas*, *pediculos*, *angues* refractarios necaſſe & comediſſe homines, ratione prædi[t]os, erga Creatorem nullius frugi; *Leones* inobedientes; *Urſos* illuſores &c. &c.

(***) Jam multa portenta ſomniarunt & propagarunt homines vani & ſomnioſi; inter qvos præcellit *Joan. Cuba* in Sanitatis inſano horto, qvod *Plinium*, *Oppianum*, plures, in fabulis adoptavit, qvi ex beluis aliisve beſtiis terreſtribus, beluas pariter marinas & pelagias procrearunt: Elephantos marinos, arietes, eqvos, aſinos, Leones, Pantheras, Hyænos, Cornutas, Caſtorides, Tritones, Nereides, Oves, pecora marina.

Linnæus Obſervatt. in tria regna n. 11.

Qvi in ſcientia noſtra varietates ad ſpecies proprias, ſpecies ad genera naturalia, Genera ad familias referre neſciunt, & tamen ſcientiæ hujus Doctores ſeſe jactitant, fallunt & falluntur; omnes enim, qvi naturalem vere condiderunt ſcientiam, hæc tenere debuerunt.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLUDIUM
DE
CRUSTATIS
IN SPECIE
DE SQVILLIS ET INSECTIS a) MALACOSTRACIS b) MARIS BALTHICI,
UBI ET
DE ONISCIS.

§. I.

MALACOSTRACA audiunt: „Animalia branchiata c), pedata d), „& caudata e), qvæ partem ſolidam f) foris, mollem vero & carno„ſam intus g) habent„. Unde *cruſtata, ſive cruſta vel tunica fragili loricata* h) *ſalutantur.*

a) Inſectum, *ἔντομον*, qvod corpus inciſuris diſtinctum habet.

b) *Μαλακόςρακον*, *μαλακόδερμα* *cruſtatum*, qvod fragili cruſta obductum. Sic: *Ὀςρακόδερμα*, *teſtaceum*, qvod ſilicea qvaſi teſta obductum; *κερατόδερμα* corneum, uti ſunt animalia *κολεόπτερα*, vaginipennia, alis ſuperioribus corneæ ſubſtantiæ, qvæ flexilis & comprimi poteſt *Wettonus de differ. anim. cap. XXIV. fol. 17.* neqve in iis *(pili ſunt)* quæ *ſilicea teſta* includuntur, veluti *oſtreis:* nec *cruſtatis*, ut *locuſtis, cancris.* Aliis animalibus *Wottonus* corticem adſcribit, qvæ ſummæ cutis loco ſicca ſunt ritu teſtæ vel petræ; conferatur idem *Cap. CCXXIX. fol. 103.* ubi de cruſtatis.

c) In lateribus ſub loricæ margine branchias habent amplas, veluti e pilis coagmentatas; *Rondel. XVIII. p. 536.* pulmonum munere tanqvam vicaria organa defungentes, non ut in lumbricis aliisqve inſectis per univerſum corpus diſperſas; conf. *Williſ. de anima brutorum c. 3.* & de branchiis Teſtaceorum *Liſter. paſſim.*

d) Teſtacea pedibus carent, nonullis pro pedibus planta, ſic dicta, eſt, ut Cochleis; malacoſtraca pedibus incedunt, qvædam eorum tunicas loricatas deponunt, ut Aſtaci fluviatiles & ſecundum *Wottonum cap CCXXX.* locuſtæ, qvod tamen de locuſtis non dixerim. vid. *Worm. Muſ. p. 59. ſeq; Charleton. Exercit. de piſc. p. 56.* Lib. mem. *Reaumurii* ſur la muë des Ecreviſſes *Mem. de l' Acad. 1712. & 1718.* item *Ejusd.* eclairciſſements de quelques difficultez ſur la formation & l' accroiſſement des Coquilles 1716. Cancri, locuſtæ.

locuſtæ, aſtaci octo habent pedes, brachia duo, Sqvillæ pedes in ſumma duodecim. Inſectorum cruſtatorum pedes numero variant. Celebris *Linnaeus in Syſtem. Nat. Ao.* 1735. ſummo generi cancrorum XII, in ſecunda Edit. 1740. X pedes, primoresqve *Cheliformes* recte adſcribit, *qvales tamen Locuſta non habent*, Cruſtata ſunt ἄναιμοι pariter ac teſtacea, & qvæ mollia ſunt, ut: loligenes, polypi, ſæpiæ, nimirum aqvatilia carentia ſangvine, & loco ſangvinis habentia alium qvendam humorem; cum e contra piſces ſint ἔναιμοι, aqvatilia qvæ ſangvinem habent.

e) *Ariſtot. IV. Hiſt. Animal. cap.* 4. Cancris ex cruſtatis caudam deeſſe dicit, qvod ex autopſia falſum deprehenditur; habent utiqve caudam, ſed corpori in prona parte applicatam, qvam non niſi fœminæ extendunt ovorum copia diſtentam. Eſt autem cauda malacoſtracorum *tabellata*, in cancris in *acumen* terminata, in reliqvis *foliis* tenacibus deſinens; *tabellas* diximus, ſive τὰς πλάκας cruſtas ſectas & congeſtas, & πλακώδης tabellatas; qvod *annuli* ſive *ſectiones annulares* dici ſolent inciſiones corporum teretiuſculorum, *tabella* vero convexo-planorum aut convexo-concavorum, vel complanatorum corporum. Dominus *Reaumurius* & D. *Geoffroydus* particulas illas cruſtatas appellant: *Tables*.

f) Fragile: eſt non colliſile ſolidum. Sic *Plinius* Locuſtarum cruſtam fragilem vocat, *Lib. IX. cap. XXX.*

g) *Ariſt. Lib. IX. c. 30. Rondel. Lib. XVIII. p. 534*; contra naturæ morem in plerisqve animalibus, in qvibus oſſa vel cartilagines firmamenti loco carnibus ſubſternuntur, *Charleton de differ. piſc. p. 57*; ut oſſa carnibus non contegantur, ſed contra oſſibus carnes, *Id. ibid. p. 56.*

h) *Plinius Lib. IX. Cap. 12. & Lib. XI. cap. 37.* cruſtis intecta animalia & *cruſtata* vocat; *vulgus*: cruſtacea.

§. II.

Ariſtoteles malacoſtracorum animalium *quatuor* genera conſtituit: *Locuſtarum*, *Aſtacorum*, ſ. Gamarorum, *Sqvillarum* & *cancrorum*. *Primum* genus eſt κάραβος, *alterum*: ἄσταχον, *tertium* καρίδα, *qvartum* κάρκινον. *Plinius* cancris pro cruſtatorum genere abutitur. *Galenus* malacoſtraca vocat cruſtata; *Diphilus* oſtracoderma dicit ſqvillam, cancrum, leonem.

§. III.

Nos duo condimus genera ſumma: I. qvorum corpus lorica integra munitum, cauda ſolum tabellata. II. qvorum vel integrum corpus caudaqve tabellata vel Pectus pedesqve loricati, reliqvo corpore caudaqve nudis & inſectis.

§. IV.

Primi generis malacoſtraca ſunt: CANCRI. GAMARI. SQVILLÆ. *Secundi*: ENTOMA ſive INSECTA CRUSTATA.

§. V.

§. V.

CANCER eſt malacoſtracum *corpore* multifariam *rotundato* vel cordiformi; *cauda* tabellata, *ſimplici*, complicata & introrſus reducta a); cruribus octo, in ſimplices aculeos exeuntibus b),. *brachiis* duobus in chelas c) ſive forficulas terminantibus.

a) Appendices ſub cauda præſtantiores ad contegenda & conſervanda ova fœminis a natura ſunt conceſſæ.

b) Flectuntur crura σκέλοι malacoſtracorum in obliqvum & extrorſum, *brachia* vero introrſum. Cancrorum qvorundam accuratas figuras ubi deſideras, *Lector* curioſe, vide apud *Catesbejum Hiſt. nat. Carol. Tom. II. p. 35. 36. 37.* ubi: Cancer arenarius, cancre de ſable, the Sand-Crab-Cancer vel pagurus maculatus, cancre de rocher tacheté, the redmotled Rock-Crab-Cancer chelis craſſiſſimis, cancre à la coqve raboteuſe, the rough-ſhelled crab —— & cancer chelis rubris, cancre marin aux mordeants rouges, the red claw Crab. Nec temnendi Icones qvos dederunt *Sachſius in Gammarol.* aliiqve autores probati. Nonnulli Cancrorum mari exeunt, vegetabilium & arborum fructus ſectantes, redeuntqve in mare; imo in America cancrorum genus terreſtre eſt, marinis per omnia ſimile, tam amplos & divaricatos cuniculos faciens, ut domunculæ vel tuguria ſæpius collabantur; ſemel in anno mare ingrediens, generandi gratia. Sic & inter malacoſtraca habemus *amphibia*, perperam tamen vel inter amphibia, vel a loco claſſificanda.

c) Χηλή proprie eſt ὄνυξ, ungula, & dicitur ἐπὶ τῶν διονύχιον ζώων, de animalibus qvibus ungula bifida eſt, ſive de biſulcis; improprie itaqve chelas dicuntur habere cruſtata animalia. Genus cancrarium, inqvit *Wottonus de differ. anim. cap. CCXXIX. fol. 103.* & locuſtarium ſimilia inter ſe ſunt, eo qvod utrumqve *brachia forcipibus denticulatis* habeat, χέλας vocant: ſed hæc non ingrediendi cauſa habentur, ſed ut iis qvaſi manibus capiant & retineant, oriqve qvod ceperint admoveant; qvamobrem contra qvam pedes ea flectere ſolent; hos enim in cavum, illa in orbem flectunt; & circumagunt: verum in errore verſatus *Wottonus*, ſcribens, *locuſtas* brachia forcipibus denticulatis habere; de qvibus mox. Apud *Feuilleum Obſ. phyſ. III. pag. 8.* deſcriptom offendimus *Cancrum Teſtudinis forma in arena deliteſcentem:* ſemblable à une petite tortue, dont le diametre eſt environ d' un pouce, lors qu'elle a ſes cornes & ſes jambes pliées ſous le ventre —— elle a au bout de ſa tete deux petites cornes, & qvatre jambes à chaqve côté du ventre &c. reſervavit autor figuram cum reliqvis, ſeparato operi hiſtoriæ animalium, qvæ in itineribus obſervavit; forte vel errorem calculi qva numerum pedum commiſit, vel brachia oblitus eſt pedibus addere.

§. VI.

GAMARI ſunt malacoſtraca *corpore prælongato; cruribus una cum brachiis* denis; *cauda* producta & in foliis tenacibus deſinente. Horum duo Subgenera:

E I. *Dorſo*

Digitized by Google

I. *Dorſo* aſpero, vel aculeato; *brachiis* a) ſimul ac *cruribus* ſimpliciter in aculeum terminatis, *non* forſiculatis: *Locuſtæ* autorum b).

II. *Dorſo* lævi; *brachiis* duobus forcipatis; *cruribus qvatuor* anterioribus in ſummo *parum bifidis*, *duobus reliqvis* paribus poſterioribus *ſimplicibus:* *Aſtaci* autorum c).

a) Brachia cum autoribus appellamus crurum paria vel ſimplicia vel forſiculata, qvod, uti dictum, non ſolum introrſum flexa ſunt, ſed & mediantibus chelis *Aſtaci*, ſimplicibus autem aculeis *Locuſta*, eſcam capiunt & ad ora ferunt.

b) Huc omnino referri debent: Locuſta, qvæ dicitur *Squilla lata*, ſive *Urſa*, qvod qvaſi hirtum urſæ corium habet, & *ſqvilla calata* ſive Æliani *Cicada;* qvas vide apud *Rondelet. p. 545. & 546.* ſimilesqve, qvibus pedes & brachia ſunt ſimplicia, *aculeata*, non forcipata. *Wottonus* inouit, differre marem a femina, qvod feminæ primus pes bifidus ſit, mari ſimplex; ſed hæc obſervatio nihil valet, qvod omnino falſo ſit.

c) Sic *Rondelet. Lib. XVIII. p. 538:* Aſtacus non Sqvillarum ſed Locuſtarum potius generis eſt; & *p. 539.* Cruſtatorum primum genus eſt Locuſtarum, & *huic ſimile* aliud Aſtacorum, & *ſpecie & longitudine corporis;* illud, prout dictum, pedes habet ſimplices; hoc fiſſos & forcipatos.

§. VII.

SQVILLÆ ſunt malacoſtraca, *corpore* prælongato, qvadantenus *gibbo;* qvatuor calcaribus cheliformibus, d) *cruribus* octo, in exitu aculeatis, *cauda* tabellata.

d) Allucinati ſunt autores, qvi Sqvillarum brachia forcipibus ſive chelis carentia ſcripſerunt; conferantur figuræ, qvas ad vivum fieri fecimus. Error inde enatus, qvod locuſtas, *urſa* dictam, & *locuſtam calatam* ſqvillis adnumerarunt, cum ſqvillæ habeant pedes una cum brachiis *duodecim*, urſa vero & locuſta cælata *decem.*

§. VIII.

Mare balticum *Cancris* e) *Gamariſqve* f) caret; SQVILLIS & ſingularibus INSECTIS malacoſtracis g) abundat; in vaſtorum vero lacuum Caſſubiæ, & aliarum regionum aqvis dulcibus fluminibusqve incredibilis multitudo eſt *Gammarorum dorſo lævi* h) in lacubus duæ ſpecies vel varietates: majores *fuſci;* minores *intenſe cærulei;* ambo cocti, rubent; fluviatiles ſapore antecellunt lacuſtres.

e) Bis eqvidem vivus mihi oblatus eſt *cancer vulgaris*, qvem tamen vel qviſqviliis, qvæ carinæ exterarum navium adhærere ſolent implicatum, vel inter comportata Gedanum oſtrea muſculosve repertum & rejectum fuiſſe ſuſpicor.

f) Ni-

Digitized by Google

f) Nimirum LOCUSTIS & ASTACIS *marinis*; Hummers *Danis*: Lobſters, *Anglis*; Homars, *Gallis*.

g) INSECTORUM i. e. ex pluribus coagmentatorum ut vult *Severin. de viſ. pyth. p. 208.* nomen proprium civico jure adeo inregno animali gaudet, ut dubitationem nobis adſcirat, condere novum; qvo autem malacodermata & keratodermata a malacoſtracis ſive *inſectis cruſtatis*, qvorum corpora notabilibus inciſuris diſtincta ſunt, mox diſtinguamus, utamur vocabulo græco, ut ENTOMA cruſtata audiant; idem qvippe eſt acſi dixeris: Inſecta cruſtata.

h) Qvi communiter: *Aſtaci fluviatiles* ſalutantur; Flüß Krebſe.

§. IX.

ENTOMA ſive Inſecta *cruſtata* ſunt, qvorum corpus (§. 3. 4.) vel *integrum* ex cruſtis ſqvillæ caudæ ſimilibus tabellatum, vel *in anteriori* ſaltim *parte* cruſta tectum, in *poſteriori* molle & inciſum; pedum numero vario.

§. X.

Jam in ſpecie de SQVILLIS & INSECTIS *cruſtatis maris baltici*; ubi demum de *Aſellis* ſive *oniſcis marinis* autorum, pauca.

§. XI.

SQVILLA καρὶς; & καρίδιον Ariſtotelis *Cicero* vertit: *Sqvillam parvam*; *Ariſtoteli* ſqvillæ etiam *Crangones* audiunt *Lib. IV. Hiſt. Anim. cap.* 2. unde eſt, qvod *Rondeletius p. 547.* habeat: *Sqvillam Crangonem*, palmi majoris longitudine; ſunt ſqvillæ multorum piſcium eſca; *Anthon van Leuwenhoek ſesde vervolg der Brieven p. 151.* qvas & in Stomacho *Acipenſeris* obſervavit *p. 183. Delft 1697.* ipſæ veſcuntur oſtracodermatis vid. *Nicol. Stryck Inleeding tot de algemeene Geographie: Amſterd. 1740. 4t. p. 97. 98.*

§. XII.

SQVILLARUM *maris baltici* non niſi *duas*, ad ſummum, ſi *ſaltatricem* connumeraverimus, *tres* habemus ſpecies.

I. *Squilla fuſca*; qvandoqve, ad inſtar ſqvillæ Crangonis *Rondeletii*, rubeſcens, qvalis fuit, qvam pictam exhibemus f. *α*. pollices tres rariſſime ſuperans; Crabenie *Gedan.* Carneele Batavis; crurum par primum breviſſimum, ſimplex, qvod ſeqvitur ſecundum leviter forficulatum; tertium par longiſſimum more aſtacorum cheliforme; reliqva tria paria in ſimplices aculeos exeunt; XII. itaqve pedibus una cum brachiis *ſqvilla* gaudet; *Cancri* & *Gamari* X. Crangonem, Rondeletius ait, habere pedes qvinos, præter hos brachia duo, qvi in calcar terminantur; pedes terni, qvi hæc ſeqvuntur parum diviſi ſunt, bini & ultimi indi- f. *α*.

viſi;

viſi; cum tamen figura plures pedes calcaribus, vel chelis inſtructos exhibeat; an noſtra ſqvilla fuſca ſit ſqvilla gibba Rondeletii? i) Eſt enim ad qvatuor priores tabulas craſſa cauda & gibba, mox cito decreſcens, tandemqve in aculeatum proceſſum, extremitate nonnihil diviſum terminata. Cæterum ex extremitate dorſi, ubi oculi ſunt, enatum cornu porrectum, ſerratum; porro ibidem duo folia caudæ foliis k) ſimilia, ut ſcindere videantur, proſtant mobilia; præter fila exploratoria qvatuor, duobus bene longis, tenuibus, aliis duobus brevibus, ad medietatem trifarie diviſis. Foliola & natatui inſerviunt.

i) Qvi *p. 548.* „Sqvillam *gibbam* caudam habere & pinnas *(foliola ad caudam)* qvatuor, „totidem & *Crangonem* in utraqve parte, *(non qvatuor in utraqva parte, ſed duas „utrinqve)* qvarum medium in utrisqve ſpinoſum eſt ſive aculeatum, ſed in crangone „latum, in gibba acutum, hancqve notam in utraqve ſqvilla & crangone — & in gib„ba — evidentiſſimam eſſe„. Gibbas græci κύφας vocant.

k) Ob ſimilitudinem petalorum folia dicta, qvæ & pinnæ ab autoribus vocantur.

II. *Sqvilla cinerea* tota, ſemidiaphana, & reſplendens; minor omnino præcedenti; vix duos pollices longa; καρίδιον ſeu ſqvilla parva; cornu ſerrato in fronte carens, cujus loco ante oculos duo proceſſus teretes cruſtati, inſecti, qvaſi articulati & in qvatuor ſetas curtas terminantes; duabus inſuper exploratoriis longis, totidemqve foliis ſcindentibus juxta os inſtructa. Cocta non rubet, nec edulis eſt, ſed pro eſca piſcium

β. γ. in abundantia colligitur. An, ſqvilla parva Rondeletii? β. γ. *Gedan.* & *Helenſibus:* Sand-Krabbe.

III. *Sqvilla ſaltatrix;* l) Sqvilla parva, qvæ major nunqvam effici poteſt, *Wottonus fol. 207.* ex cinereo flavicans; minima; retibus & hamatili piſcatui fatalis. Uberrima hujus ſeges eſt in littoribus, qvam, tanqvam peſtem, qvodammodo mitigantes gallinulæ aqvaticæ, ſcolopaces, ſimilesqve aves vermivoræ avide ſectantur; Pulex marinus *Rondeletii*, qvem ψύλλον θαλάττιον *Ariſtotelis* ſ. pulicem marinum eſſe autumat; *Helenſibus:* Sandſpringer. Huic ſimilis videtur D. *Friſchii de inſectis Parte VII. num. XVIII.* krebsförmiger Waſſerwurm aqvæ dulcis & uliginoſæ. Pulices marinos vel ſaltatrices ſqvillas ad vivum delineandos præterita æſtate neglexi, interim tamen Niedenthalii icones ab Excell.

δ. ε. ζ. Breynio communicatas trado: *fig. δ. ε. ζ.* Autor vel ad naturalem magnitudinem beſtiolas delineavit, vel amplificavit, ut diſtinctius appareant in partibus; ſi verum eſt prius, fateor, me tantæ magnitudinis pulices non vidiſſe; qvi, qvod ſciam, magnitudine parum excedunt pulicem marinum *Rondeletii*. In ſuſpenſo pariter relinqvo, an omnes pedes, prout in figuris, acuti, an alterutri fiſſi ſint? nec certi qvid de multi-

multitudine pedum aſſerere poſſum; qvin in anteceſſum dixerim, pulices noſtrates littorales potius ad Inſecta cruſtata referendos fore; nec plures Sqvillas qvam fuſcam & cineream novi m).

l) Omnes eqvidem ſqvillæ, cauda prius gibbum formantes, dein illico caudam remittentes ſaltare videntur, unde *Gallis:* ſauterelles, cheurettes, guemettes; aſt ſqvillæ omnium minimæ continuo ſaltantes cernuntur, velut pulices animalium, cito ſe arenæ littorali madidæ occultantes, rurſusqve ad ſaltum erompentes; hinc ψαμμίτας appellaverim, qvod arenæ ſe operiunt.

m) Nam ſqvillam qvæ Mantis *Rondeletii*, pro ſqvilla non agnoſcimus, de qva infra. An Sqvilla - longa variegata *P. L. Feuillee Obſerv. phyſ. II. p. 633.* ad Sqvillas an ad Entoma malacoſtraca referenda, determinare non auſim, qvod autoris figura qvam ab animali ſumpſit nondum exhibita proſtat. Suſpicamur nihilominus tamen, ad Entoma malacoſtraca pertinere qvod *venter decem articulationes* habet: „Le ventre eſt diviſé „par dix articulations un peu voutées, paralleles entre elles; mais d'une inegale longeur.„

§. XIII.

ENTOMA ſive Inſecta Cruſtata *(§. 3. 4)*.

I. Corpore integro tabellato.

1. *Entomon* cruſtatum, cauda in rotulas formia præcariarum inſecta, in ultima *(lethali)* aculeo inſtructum; corpore ovato, & tabellato; pedibus octo; brachiis forcipatis: *Scorpius* autorum, cujus multæ varietates. Inſectum cruſtatum terreſtre liqvida fugiens. *Nicander* octo Scorpionum genera recenſet, qvæ vide apud recenſorem ejus, *Leonicenum* de venenis: 1) λευκὸν, album, cujus morſus non lethalis, 2) πυρσὸν, rutilum & tremorem & ſitim infundentem, 3) ζοφοειδέα ab opaco & obſcuro colore, ratione impotes reddentem & ridentes; 4) χλόαων, frigore qvaſſantem, 5) ἐμπέλιον lividum, triſtitiam incutientem, 6) καρκίνων, Cancro ſimilem, 7) παγούρων paguro ſimilem, 8) μελίχλωρον, melleicoloris. Non morabor examine omnium.

2. *Entomon Mantis.* Sqvilla, qvæ μάντις *Rondeletii* n), nonnullis cicada marina o) τέτλιξ, Cigale de mar. *Maſſil.* Nympha *Speuſippo*, *Bellonii de aquat. Lib. II. c. 348.* Inſectum cruſtatum marinum; corpore tabellato; brachiis longis ad os flectendis, ſerratis; crura ſeqventia tria calcaribus inſtructa; qvæ alia terna ſimplicia parumper diviſa excipiunt; ad decimam tabellam remiges folioſi, illa deſinit in caudam compreſſam, circularem, in ambitu aculeatam; exploratoria fila duo habens longa bi-vel trifida.

 n) Non

ENTOMA cruſtata

I. Corpore integro tabellato.

n) Non eſt confundendum cum Locuſta vel ſqvilla cælata *Rondeletii*, vel cum *cicada Æliani*, de qvibus ſupra.

o) Preguedious, *μάντις*, a beſtiolæ ſimilitudine, qvæ eſt ex locuſtarum terreſtrium genere, Deum precans, qvod pedes junctas tenet, eorum more, qvi ſupplices Deum deprecantur; prout explicant autores. The praying Locuſt, *Anglis*.

3. *Entomon pyramidale;* Eſt inſectum *maris baltici* cruſtatum, toto corpore pedibusqve loricatis; qvatuor pollices longum, in medio ventre unum pollicem cum tetrante latum; venter ex ſeptem tabellis cruſtatis compoſitus, ad qvarum ſex poſteriores utrinqve crus unum extrorſum flexum; ad primam tabulam pone caput brachium curtum, introrſus flexum; capite duabus longis totidemqve brevibus ſcuticis exploratoriis, geniculatis, inſtructo; oculis admodum parvis, nigris, ore exiguo qvadrangulari qvaſi ſtellato; cauda ſuperne ad ortum qvinqvies inciſa; cæterum lævi, inferne laminis vel valvis ad plauſum mobilibus, qvæ remigum vices agunt, contecta. Vid. *figg. 1. 2. 3.* ubi *fig. 1.* pronum *fig. 2.* ſupinum inſectum *fig. 3.* caudam infra cum valvulis conſideratam, exhibent. Animal ſi capiti imponas, toto corpore pyramidale; cauda ſeparatim conſiderata pariter pyramidem referente. Gedanenſibus dicitur *Schachtwurm*, lineas hamorum in mari rodens, multumqve detrimenti piſcatoribus ferens; nullibi, nec ſeqventia duo invenio deſcripta, & qvod figuræ omnes curatiſſime ſunt abſolutæ, ſuperſedeo ulteriori deſcriprioni (†). Altera ſpecies eſt.

fig. 1. 2. 3.

(†) Hoc Præludin jam anno 1742 menſe Aprili in MSCto abſoluto inſectum illud marinum Clariſſimus *autor* der Dantziger Erfahrungen 1743 in der neunten Woche *ſeq.* juxta mutilas exuvias vacuasqve ab interraneis & admodum mollibus partibus inqve littore deprehenſas, deſcripſit, ſub titulo: eines krebsſchaaligen See-Wurms. *Oniſcum* eſſe qvod 14 pedes habet, & exuvias, prout cancros & aſtacos, deponere autumat Doctiſſimus *autor;* nos, cum pace ejus, aliter ſentimus: qvod nimirum *Entomon pyramidale* & reliqva cum ſic dictis *Oniſcis*, Kellerwürmer, comparationem non admittant (*Vid. §. 17. infra.*) & qvod nullum inſectum cruſtatum, nedum *καρκίνιον Ariſtotelis* exuvias ſuas deponat, qvod neqve *cancri* neqve *aſtaci marini*, nec *locuſta* autorum cruſtas ſuas mutent, ſed ſoli aſtaci fluviatiles & lacuſtres, ſenecta cum loricis depoſita, qvotannis rejuveneſcant; *conferantur ſupra §. 1. not. d)*

&

Digitized by Google

ENTOMA cruſtata
1. Corpore integro tabellato

– *& infra* § 16. *not.* s) ubi & de aſellis, qvod perfecti prout cochleæ & conchæ ex ovo prodeant, mutationi non obnoxii, ſenſimqve increſcant; ita ut ejusmodi animalium tegmina nimis improprie eorundem domicilia vocitentur.

4. *Entomon parallelogrammum*: Inſectum maris baltici cruſtatum; demtis capite & cauda, ex ſex tabulis æqvalibus ſinuatis, in medio tranſverſim ſed tantillum elevatis conſtans, tres pollices longum, totidem qvadras latum. Caput diſtinguit unica tabula ventralibus major; ad cujus marginem oculi extantes; mox pone caput brachia habens aculeata, potius hirta, ad os flectanda; antennis articulatis craſſioribus, qvam in præcedenti; caudam maxima omnium tabula in exitu ſinuoſam abſolvit. Pariter malo omine *Schacht-Wurm* audit. *f.* 4. f. 4.

5. *Entomon hieroglyphicum*; Inſectum cruſtatum *aqvæ dulcis*, ſub glacie ad fontem ſanctum, *heiligen Brunn*, haud procul Gedano, repertum: tres pollices cum dimidio longum; unius pollicis cum tetrante, ubi latiſſimum. Demtis capite & cauda ex *ſeptem* tabulis componitur, totidemqve cruribus ſimplicibus gaudet. Singulæ tabulæ figuris hieroglyphicis, ab animalibus, homuncionibus aliisqve rebus deſumptis mirum in modum pictæ. Ad caudam amplam rotundatam prout caput ex unica tabula conſtantem inverſo ordine *brachium utrinqve* introrſum flexile ita ut XVI. pedibus gaudeat, in exitu caudæ virgulæ poſticæ exploratoriæ duæ, duplicatæ, hirtæ; ſic & ante & pone prædam inveſtigare & ab hoſtibus ſibi proſpicere poteſt, cum & caput antennis exploratoriis qvatuor, duabus longis, alteris curtis eſt inſtructum. *f.* 5. f. 5.

Hæc ſunt, qvæ novimus, inſecta cruſtata tria ſingularia, in noſtris aqvis obvia, inter qvæ ultimum rariſſimum eſt.

6. *Entomon* cruſtatum *corpore ovato*, qvod Φθεὶρ θαλάττιον *Ariſtoteli*, pediculus marinus *Rondeletii*; tenui cruſta tectus, tabulis & inciſuris numeroqve pedum & brachiorum prout Entomon pyramidale. Rondeletius hunc pediculum comparat cum ſcarabæo terreſtri, qva magnitudinem & latitudinem ad inſtar fabæ, & deſcribit corpus ex aliqvot tabellis, veluti locuſtæ vel ſqvillæ cauda conſtans; ante os duobus cornubus levibus; utrinqve pedibus multis *(ſex cruribus & duobus brachiis)* incurvis, in acutum deſinentibus; addens, pediculos marinos aſpectu *aſellis multipedibus* ſimiles, niſi, qvod caudam latam *(ſane, haud levis differentia)* habeant, eosqve qvi

Digitized by Google

ENTOMA cruſtata
I. Corpore integro tabellato.

qvi ὄνως, ſive *aſſellos multipedes*, cognoverint, facile ex eorum ſpecie pediculum marinum agnoſcere poſſe; qvod nobis occaſionem præbuit poſt hæc de *Aſellis* ſive *Oniſcis* differendi paucis.

ENTOMON cruſtatum
II. Pectore pedibusqve ſaltim loricatis (§. 3). *Entomon Eremita.* Bernard l'Hermite; καρκίνιον *Ariſtot.* Cancellus autorum; Pinnother *Plinii* minimus (ut fert ejus opinio) ex omni cancrorum genere, ideo opportunus injuriæ; huic ſolertia eſt, inanium oſtrearum teſtis ſe condere & dum accreverit, migrare in capaciores; Dantur tamen & minora cruſtata cancellis; tam cancri qvam ſqvillæ, de qvibus ſupra. Soldat *Batavis;* qvod non invitatus aliorum domunculas occupat, ſibiqve appropriat. Eſt inſectum marinum cruſtatum *toto ventre & cauda nudum, molle* p); pectore ſaltim cruribusque quatuor & duobus brachiis cheliferis, dextro quidem minore ſiniſtro, loricatis (cornubus longis, tenuibus, flavis q).

p) *Ariſtot. V. Hiſt. An. cap. 15.* ſic: Thoracis inferior pars mollis & diſſecta, pallida eſt intus; ab ore meatus unus ad ventrem — pedes & thorax duri ſunt, minus tamen qvam in cancris; & *Rondeletius p. 558.* pars poſterior nullis tabellis conſtat, ſed cute duntaxat; ob id ab Ariſtotele mollis dicitur; ſed ad eam firmandam certis *intervallis diſſitas lineas tres* habet latas durioris ſubſtantiæ. The little Souldier Crab; item the Hermit. Crab. *Anglis.*

q) Vid. apud *Catesbejum P. II. p. 33. & p. 34.* Cancellum maximum Bahamenſem: La tête, les jambes, les ſerres & la partie anterieure du corps ſont cruſtacées; la poſterieure du corps, qvi eſt la plus grande, eſt d'une ſubſtance charnuë, tendre, & n'eſt couverte qve d'une peau mince — La partie charnuë du Corps eſt *diviſée en onze parties ou diviſions par dix membranes circulaires ou anneaux &c.* Longiores utiqve ſunt, qvi in turbinibus, qvam qvi in neritis vivunt; conferatur *Swammerdam Bibl. nat. Tab. XI.*

Tantum de Inſectis cruſtatis. qvorum licet plures apud autores, uti ſunt μικροὶ καρκίνοι; pinnophylaces, inter ſpongiarum cubilia; teſta operti generis cancelli, colore albido, in mitulis, & nonnulli alii; qvoniam vero eorum fida hiſtoria deſideratur, merito ab iisdem hoc loco abſtinemus.

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

In Miſſu IV. de Piſc. §. XXII. not. b) mentionem injecimus de *Aſellis piſcibus*, qvos ordinate conſiderandos Miſſui Vto reſervamus; modo ad brevem qvidem, qvæ reſtat, diſqviſitionem progredimur de *inſectis*, qvæ

ASELLI ſive ONISCI

Galeno; audiunt aliis: millepedes, Keller-Eſel, Mauer-Aſſel, Säge-Würmer; *Batavis:* piſſebeddes; *Gallis;* Cloſeportes, porcelets; *Anglis;* Chelesippes; a qvibus qvædam inſecta marina, ſatis incongrue nomen ſortita ſunt, qvod ONISCI *marini* vocantur.

§. XV.

Illi nomen habent a *colore aſinino* & qvod *tardo* procedunt *motu*, licet XIV inſtructi ſint pedibus; ut autem a teneris aſinis qvadrupedibus nec non ab Aſellis piſcibus diſtingvantur, *Ariſtoteles Lib. V. c. 31.* vocat ὄνυς πολυπόδως, ſive ὀνισκυς, *multipedes Aſſellos;* ad qvem Ariſtotelis locum *Aldrovandus de Inſectis p. 632*, hæc habet: „qvoniam ὄνυ i. e. *aſſelli nomen* hoc *com-* „*mune vagumqve* per multa animalia in græcis ſit; nam & in qvadrupedum „genere piſcium & locuſtarum aſelli nomine qvid indicatur, qvam ob cau- „ſam ille *(Ariſtoteles)* multipedes adjecit„. Nihilo minus *Rondeletius p. 576. 577.* pediculum marinum *(§. 13. n. 6.)* comparat cum Aſſellis multipedibus, *autorem* libri de *aqvatilibus* r) graviter reprehendens, qvod pediculum marinum, ſ. Φθεὶρ θαλάττιον, verterit in *Aſilum* Ariſtotelis, poſt pediculum longe diverſum, multis pedibus incurvis in acutum deſinentibus, piſcibusqve ita hærentem ut eripi non poſſit. *Mouſettus* exiſtimat aſellum a *ſaltu* derivari.

r) *Petrum Bellonium Cenomanum*, qvem nomine ſuo *Rondeletius* appellare paſſim non eſt dignatus, qvin potius de re qvalibet miſere objurgavit.

§. XVI.

Aſellos eqvidem *terreſtres* s) ſive murarios XIV, magis accurate XII pedes duoqve brachia habere non negamus, non tamen aſſeverare poſſumus *oniſcos aqvaticos* ſive ſic dictos aſellos marinos omnes pedibus XIV inſtructos eſſe, cum præter reliqva neqve colorem aſininum habent, neqve tardo motu incedunt.

a) Svvammerdammius terreſtrium aſellorum tres aſſervaverat ſpecies, qvorum *prima* communis murariorum; *altera* admodum magna fuit, oculis nigris, extuberantibus, capiteqve diſtincto, thorace cuculli æmulo; *tertia* id fuit ſingulare, qvod ſemet in globum contraxerit, ſi contrectatus; conglobatusqve aliqvo tempore ſic permanſerit; *Bibl. nat. p. 60. Idem* omnes aſſellos refert ad inſecta primi naturalium mutationum ordinis, qvi *Nympha animal* vocatur, i. e. qvod perfectum ſuo ex ovo prodit ſenſimqve increſcit; hinc *Entoma num. 3. 4. 5. & 6*, qvæ ſecundum autorum opiniones ad aſellos marinos referenda, pariter ac aſelli murariorum, prout aſtacos, cruſtas ſuas deponere qvotannis non dixerim, qvin potius eorun-

Digitized by Google

dem lorica, uti cancrorum cruſta, cum ipſis creſcat, eorumqve integumentum ſit animantium pars adeo conſtitutiva, vt ſeparatum non niſi cum interitu & deſtructione partium corporis mollium conſiderari poſſit.

§. XVII.

Pie defunctus *Joan. Leonh. Friſch de Inſectis Parte X. num. V.* Aſellum aqvaticum Waſſer-Aſſel deſcribit *XII pedibus*; inſuper laudatus *Swammerdamius* recenſet *tres* aſellos marinos *apodes*, inter qvos maximus, qvi duos pollices cum tribus lineis longus, treſqve lineas ultra pollicem latus, *octo annulis* conſtans de *materia firma & oſſea* conſtructis. Hos excipiunt *qvatuor* marini, *ſqvillis figura* ſimiles; maximus pollicem longus, *ſeptem* more aſellorum terreſtrium *pedibus* utrinqve inſtructus; *alter & tertius* multo minores, forma tamen priori fere ſimiles; *quartus* ab anterioribus in eo diſcrepat, qvod *pedes* ejus *antici* univerſo corpore multo longiores. *Latum* præterea habuit aſellum marinum de materia cornea & cartilaginea fabricatum, ex Islandia miſſum, pedibus VI (intellige utrinqve); juxta caudam utrinqve pinnis binis, planis; & denum valde *rarum aſellum* marinum, prope Petten captum, vix ſemipollicem longum, ex pyri forma globoſum, ſat *longa cauda*, nonnullisqve pinnis inſtructa t). Demum *Mouſetus p. 322.* pulicem ſive aſellum marinum ſqvillam molliorem referentem habet, *qvatuor* tantum pedibus, *ſex* licet figura referat, qvot etiam in figura, qvam laudatus Dominus *Breynius* ab animalculo vivo fieri curavit, apparent; alatus eſt, & cicadam marinam potius dixeris, qvam aſellum vel pulicem.

t) Sic ſatis incongrue *Entoma cruſtrata* aſelli vel *oniſci* ſalutantur, cum his cauda nulla ſit; ni curta fila exploratoria poſteriora, non attentus, appellaveris caudam.

§. XVIII.

Qvidni igitur recte *Aldrovandus* citatus *(§. 15.)* „qvod commune ONISCI „vel ASELLI *nomen vagum* ſit?„ id adeo verum eſt, ut neqve *ſummum* aſellorum *genus* peti poſſit a *multitudine pedum* (nedum a colore aſinino) cum *§. 13.* aſellum, qvi eſt *Entomon hieroglyphicum*, habemus pedibus XVI; in *§pho* autem 17. *duos Oniſcos* pedibus XII. *Unum* pedibus qvatuor vel ſex, inſuper *tres apodes; omnesqve, præter Aſellum Mouſeti, caudatos.*

Ne autem in longum & latum divagemur, *colophonem* Præludio Cruſtatorum addimus, *oniſcos* ſuis relinqventes locis, usqve dum, *Deo volente*, inſecta ad ordinem naturalem redigenda ordo tetigerit. Cæterum, nobis dictum eſſe volumus, qvod omnibus ponderandum tradidit

Baco de Verulam: Fil. Labyr.

Perfectam rerum naturalium cognitionem vel ſibi vel etiam naturæ humanæ attribuere atqve aſſerere temerarium qviddam atqve impotentis impudentisqve animi cenſeri debet.

I. DIS-

I. DISCURSUS BREVIS: DE

RUMINANTIBUS.

RUMINARE (*) eſt deglutitum pabulum per bolos ad maſticandum in os regurgitare.

(*) Vocatur etiam rumigare; *Plinio & Quintiliano* remandere; græcis *μηρυκάζειν* vel *μηρυκᾶν*, *παρὰ τὸ μηρύειν*, revolvere; RUMEN *Plinio* ac *Feſto* eſt locus in ventre, qvo cibus demittitur, & unde redditur; per translationem etiam pro ipſo ſumitur ventriculo; hinc latini ruminationem non a loco ad qvem cibus revolvitur, ſed a qvo furſum ad os repellitur dixerunt. *Ruminantia* itaqve animalia *Jo. Conr. Peyerus in merycologia p. 4.* dicit, qvæ præmanſum cibum rurſus maſticant, iterumqve deglutiunt. Jacent potiſſimum, cum ruminant, omnia; *Wottonus de differ. anim. cap. LXXIII. fol. 55.*

RUMINANT autem

I. Omnia animalia qvadrupeda & *cornigera*, *ungulis biſulcis:*
   a. *Bovinum* genus; huc: Uri, Tauri Europæi & Indici.
   b. *Ovinum* genus.
   c. *Hircinum;* huc: Dama; Rupicapra; Gazella; Ibex; Tragelaphus, & plures capri ſylveſtres.
   d. *Cervinum*, cornubus (**) compoſitis; huc: Alce; Rangifer; Capreolus &c.

Qvæ animalia in ſacro Codice ſunt *munda.*

(**) Cornua, ſtricte dicta, ſunt proceſſus juxta tempora utrinqve vel antrorſum ex cranio; proprio nomine ita vocati; vel continui & ſtabiles, vel annuatim eradicandi & decidui.

II. Animalia ex *digitatis* (***) qvæ *non niſi* in pratis, campis & ſylvis pabula guſtant (weiden, auf die Weide gehen); arbores non freqventantes.
   a. Pedibus *didactylis* ſive callis diſtinctis: Camelus.
   b. Pedibus anterioribus *pentactylis:* Lepus & Cuniculus, cum cognatis, ut lepores cornigeri &c. (****).

Qvæ animalia, præter reliqva digitata non ruminantia, in ſacro Codice *immunda* (*****) audiunt.

(***) Nota: qvod recte diſtinguantur qvadrupedia: in *Solipedia*, *μώνυχα*, ungula con-

tinua

tinua, non fiſſa, ut Eqvus, aſinus; *biſulca*, διχηλὰ & *digitata* ſive fiſſuras vel duas vel plures habentia. Diſtinctionem *Deus ipſe* dedit *Levit. XI.* Das Cameel hat Klauen, und ſpaltet ſie doch nicht; non habet ungulas prout biſulca; conf. *Dubia ad Claſſem de Qvadrupp.*

(****) Plura inter digitatos non dantur, qvæ ruminarent unde *Wottonus:* unum etiam animal digitos habentium eſt lepus, qui herba alitur; ruminare qvoqve illi in more eſt, *de differ. an. cap. LXXXV. fol. 67.* qvicqvid etiam dicant autores de *muribus*, qvi continuo qvidem mandibulis ludunt, non tamen ad maſticandum regurgitant eſcam. *Glirium* genus præ aliis animalibus rodendo & arrodendo acutiſſimis utitur dentibus, qvorum acies indies conſumeretur, niſi natura muribus præ reliqvis non intermittentia largiatur incrementa; ne autem dentium hæc incrementa in obtuſum exeant, mures indeſinenter dentes invicem affricando, & mandibulis qvaſi ludendo, in cuſpides exqviſite tales acuunt.

(*****) Nota: vitulos, agnos, hædos alioſqve catulos animalium & mundorum & immundorum non ruminare, qvamdiu lacticularii ſunt; ratio patet per ſe.

Dixi, qvod *Biſulca* & *Cornigera* omnia, & ex *digitatis ſola, qvæ* in *pratis*, *campis* & *ſylvis pabula* guſtant, arbores non freqventantes, ruminent; itaqve *porcus* non ruminat, etſi ſit biſulcus, qvod cornua non habet, qvin non ſolum in campis, pratis ac ſylvis pabulatur, ſed inſuper omnia ſibi obvia, lapides lignaqve ſi exceperis, ad cadavera usqve & ſtercora ingurgitat; pariter neqve ruminant ejus cognati; ut *Babyrouſſa*, & maximus, *me judice*, porcorum loricatus: *Rhinoceros;* hinc nec *eqvi* nec *aſini*, nec *monopocera*, ſive aſini cornuti (unde prætenſa Unicornua enata) qvod non ſunt διχηλοὶ, verum μώνυχοι nec mures, ſciuros, ne dicam de muſtelino genere, carnivoro, ruminare credas; neqve te moveant, qvæ & Antiqvi & recentiores, cum his qvoqve citatus *Peyerus*, fabulantur de aliis animantibus, de inſectis, de avibus, de aqvatilibus, notanter de *Scaro* piſce. Ipſe *Peyerus* ſibi contradicit: „qvod qvædam vere ruminent, qvibus inde ruminatio „proprie competit, alia ruminationem analogia qvadam imitantur; illa vo„cat ruminantia *genuina* ſeu *legitima*, hæc *ſpuria* aut *ſimulata*.„

Eſt autem Animalibus ruminantibus plerisqve *ventriculus* qvadripartitus; hiſce pabuli receptaculis propria nomina ſunt impoſita a *Philoſopho*, usqve dum in uſu: *Primus* ventriculus audit κοιλία, latine venter; *ſecundus:* κεκρύφαλος, reticulum; *tertius* ἐχῖνος, omaſus vel omaſum; *qvartus* ἤνυστρον, abomaſus.

Gula ſive Oeſophagus in tres primos ſimul aperitur, qvartum non ingreditur; ſic non niſi mediante ventriculo tertio cibus in ventriculum qvartum deducitur, & inde per pylorum ultra demittitur. Primus, qvi magnus venter, ſaccos habet duos aut tres eosqve inſignes; in hunc animal pabulum ſtatim

Digitized by Google

ſtatim ingerit, mox ex hoc ruminans ore conficit, dein rurſus in ſecundum ventriculum, omnium minimum ex plicis plurimis licet planis conſtantem deglutit, & ex hoc rurſus in tertium transfert, unde in qvartum deſcendit cibus.

Plura de ruminatione in prolegomenis *Aldrovandi* de qvadrupp. biſulcis, & apud *Peyerum*, qvi egregias figuras omnium ventriculorum bovis ſuppeditavit. Capreoli ventriculos vid. apud *Velſchium de Ægagropilis.*

Supra ex *Levit. XI.* biſulca animalia & ruminantia, qvæ cornigera ſunt (non attenta varietate in genere hircino caprorum excornium, hümliche Böcke, Ziegen qvi ſimulacra cornuum deciduorum habent) *munda* audiunt qvadrupedia, reliqva *immunda;* veriſimile tamen nobis videtur, ante prohibitionem legis Iſraelëtas impune & alia animalia pro lubitu & appetitu comediſſe; quippe *Deus* inito pacto cum *Noa Gen. IX. 3. 4.* præceperat: Alles, was ſich reget und lebet, das ſey euer Speiſe; wie das grüne Kraut hab ichs euch alles gegeben, *omne qvod movetur & vivit, erit vobis in cibum: qvaſi olera virentia tradidi vobis omnia;* ita tamen, ne viva comederentur animalia, ſed ſanguine effuſo necata ut eſſent: Allein eſſet das Fleiſch nicht, das noch lebet in ſeinem Blut; *excepto, qvod carnem cum ſangvine non comedetis;* ſublata lege Moſaica, qva DEus Iſraelitas ab omnibus populis, tanqvam ſibi proprium, diſtinxit, Chriſtiani fruuntur poſtliminii jure ex præcepto divino NOÆ & ſucceſſoribus dato; unde eſt, qvod & porcos & lepores comedamus. Sed qværitur: utrum recte faciant Chriſtiani comedendo animalia ſangvinea, ſanguine non effuſo, v. gr. *Turdos ſuffocatos?* Nobis videtur: *vel* qvod Deus *Gen. IX. 4.* ſolummodo interdixerit commeſtionem animalium, qvæ vitam adhuc agunt, die noch leben in ihrem Blut, circulatione adhuc integra & ſalva, illa verò animalia, qvæ facto hominis ad victum ſuffocata, ſaltim Iſraelitas, expreſſa lege lata: vom Erſticken, reſpexerint (nam qvod ad cadavera, vel lacerata ab aliis animalibus in victum attinet, ab his & Chriſtiani & Judæi & Gentiles morati imo & Ἀνθρωποφάγοι & ſui ſimiles abhorrent) *vel* qvod interdictum illud hunc ſenſum involvat: *ne crudæ comederentur carnes:* Das Fleiſch, das noch lebet in ſeinem Blut, i. e. rohes blutiges Fleiſch; caro cum ſangvine; nam anima omnis carnis (nepheſch) ſanguis ejus eſt; *Levit. XVII. 11.*

Digitized by Google

II. DISCURSUS BREVIS
DE
PERIODO VITÆ HUMANÆ COLLATO CUM BRUTIS &c.

Proſapiam generis humani ante fatalem globi terraqvei cataſtrophen multa vitæ ſecula numeraſſe ex ſacris paginis conſtat; poſt diluvium longævitas Principis Creaturarum pedetentim decrevit, ita ut jam Pſalmiſta ſit qveſtus, hominum vitæ terminum ſummum octuageſimo circumſcribendum eſſe ætatum anno.

Noſtro tamen adhuc ævo qvotannis, ex variis Europæ locis, utriusqve ſexus *homines longævi* a nuntiis publicis recitantur, qvi periodum vitæ ultra ſeculum duxerunt. Horum nonnullos ex Magna Britannia in ſcenam proferre ſufficiat.

Anno MDCLV *THOMAS* PARRE, provincialis Schropſirenſis
152. *annorum 152* deceſſit, qvi ætatis anno 120mo viduam duxit, cum qva rem habuit, ut alii mariti ſolent, & usqve ad 12 annos retroactos ſolitum cum ea congreſſum freqventavit.

Anno MDCLXI *FRANCES* WOODWORTH Carltonenſis mor-
102. tuus ultra ætatem *102 annorum.*
140. - - - Comitiſſa de DESMOND in Irlandia ſuperavit *140.*
143. - - - ECKELSTONIA vero *143 annos.*
108. Anno MDCLXVIII Maria ALISSON, Skiptonenſis mortua *108 annorum.*
112. - - - Johannes SAGAR Lancaſhirenſis *annorum 112.*
169. Anno MDLXX Henricus JENKINSON Ellertonenſis vixit *169 annos.*
126. - - - Robertus MONTGOMERY Scotus *126.*
108. - - - Thomas WIGGIN, Carltonenſis ultra *108 annos.*

Sic in *Epitome Tranſact. Philoſ. V. b. 175.* & *Voll. XXII. n. 268. p. 735.* Joannis Marſhal relatio fert: In montibus Indiæ ad CASIMERE viros plures aliqvot ſeculorum reperiri *(Men, that live ſome hundreds of Years)* qvorum qvotannis nonnulli deſcendant ad Accolas *Gangis*, ab his multum venerati; hoc qvadantenus confirmare vult *Poggius Hiſt. de varietate fortunæ p. 150.*

Digitized by Google

p. 150. qvod plurimi Ethiopi vitam agant 120 annorum, multi 150, & nonnulli 200 annos ſuperent; Sit fides penes autores.

Ponamus tamen monticolas illos duo ſaltim ſecula attingere, qvod in Anglia *Henry Jenkinſon* vixit 169 annos, tunc curriculum vitæ illius populi foret enunciatione Regii Pſalmiſtæ 80 † 120. Tantum de Periodo vitæ humanæ.

ANIMALIUM brutorum qvæ dicuntur, vel beſtiarum longævitatem vix ac ne vix qvidem determinare licet, adeo manca eſt eorum hiſtoria.

URSUM Phyſiologi non ultra XX annos, qvandoqve XXV, vitam agere decreverunt; ſic *Bargeus Cyneus:* URSUS.

— vix annos viginti implere videntur,
Nam qvibus has ævi extremas contingere metas
Accidit, & qvanti ſpatium decurrere luſtri &c.

LEONES ſatis longum vitæ ſpatium peragere exinde colligunt autores, qvod aliqvando præ ſenectute dentibus defectis captos eſſe conſtat; & refert *Odonus in Ariſtot.* captum fuiſſe Leonem claudum & complures dentes fractos habentem, qvo argumento multi diuturnam eſſe Leoni vitam arbitrati ſunt; addunt, qvod gravi ætate preſſi ob timorem aliarum ferarum in remotioribus cryptis ſe condant, noctuqve exire non audeant, tantumqve beluas imbelles fame preſſi aggrediantur. Alii dicunt, qvod Leones decrepiti non eant prædatum, ſed a Leonibus junioribus ad prædæ participationem admittantur. Sed qvis eſt, qvi cum Leonibus in cœnaculis conſedit? LEO.

CERVORUM ætatem præcipue poëtæ extollunt. *Heſiodus*, ut ait *Plinius*, CORNICI novem noſtras tribuit ætates, qvadruplum ejus CERVO, id triplicatum CORVO. CERVUS. CORNIX. CORVUS.

Ponamus Hominum ætatem LXXX.		annorum
Cornicis ætas erit	-	DCCXX.
Cervi	- - -	CCCXX.
Corvi	- - -	CCXL:

vel ſi qvadruplum Cervi triplicari debet, *Corvi* ætas foret annorum CMLX.

Unde eſt, qvod *Oppianus* Cervum vocaverit τετρακόρων, qvod fabulam ſapit, & *Ariſtoteles II. A. XXIX.* approbare noluit, qvin potius *de gener. Anim. IV. c. X.* dixerit: HOMINEM plus temporis, qvam qvodvis animal vivere excepto ELEPHANTE, qvi aliqvot ſecula vivere perhibetur; vid. Judicium Mercatoris diu in Indiis commorati, de Sceleto Elephantino Tonnenſi apud *Tentzelium;* confer. D. *Bourguetus memoir. pour ſervir à l'hiſt. nat. p. 138.* Philoſtratus ex hiſtoriis colligit, trecentos & qvinqvagenos annos vivere ELEPHAS.

vere Elephantes. Nota tamen eſt *Arceſilai* CERVA ſacra apud *Pauſaniam in Arc.* ſenio gravata, cui torqves circum collum fuerit hoc verſu:

Hinnulus excipior ſolvente Agapenore Troiam:

CERVUS. unde *autor* colligit *Cervum* ELEPHANTO longe vivacius animal eſſe. *Plinius* hæc habet: Vita Cervis in confeſſo longa, poſt centum annos aliqvibus captis cum torqvibus aureis, qvos *Alexander Magnus* addiderat, adopertis jam cute in magna obeſitate; & *Solinus:* ad dignoſcendam vivacitatem *Alexander M.* torqves plurimis Cervis innexuit, qvi poſt annum centeſimum capti, nec dum ſenii indicium præferebant; vid. *Ariſtot. in mirabil.* de torqve Cervi cum inſcriptione: *Diomedes Dianæ.* Tempore Papæ *Urbani VI.* à CAROLO, Gallorum Rege Cervus Sylvanecti inventus cum torqve & inſcriptione: *Hoc me Cæſar donavit;* a qvo tempore Carolus cervum auream collo coronam geſtantem pro inſigni habuit. Alia Cerva Cæſaris Augusti innumeris propemodum luſtris poſt reperta cum torqve & verbis: *Noli me tangere, qvia Cæſaris ſum.*

Theophraſtus Lib. 9, ut habet *Cicero*, naturam accuſavit, qvod *Cervis* & *Cornicibus* vitam diuturnam, qvorum nihil intereſſet, *hominibus*, qvorum maxime interfuiſſet, tam exiguam dederit; vixerat autem jam *Theophraſtus* octuaginta & qvinqve annos; neqve vero homo, cui brevior eſt vita, propterea inferior eſt animalibus feris; hoc enim non eſt optimum, diutiſſime vivere, ſed ſapientiſſime, quod hominis vita via ſit ad vitam, quæ æterna eſt & ſimul optima, ac feliciſſima, de *Mey Comment. phyſ. Ariſtoteles IV. de part. c. 2.* Cervum non ſolum longævum eſſe teſtatur, ſed & longævitatis cauſam addit: qvia felle caret (conf. tamen *Hiſt. piſc. nat. M. I. p. 30.* ubi de animalibus felle carentibus). *Columella* cervum in vivariis compluribus annis ſuſtineri poſſe ait, qvod ævi longioris vitam ſeqvitur. Hinc *Juvenalis Sat. XIV.*

Cum torquet juvenem longa & Cervina ſenectus.

& *Ovid. III. de Arte Am.*

ANGVIS. ANGUIBUS exuitur tenui cum pelle ſenectus
Nec faciunt *Cervos* cornua jacta ſenes.

Tibullus: Crudeles divi, ſerpens novus exuit annos
Formæ non ullam fata dedere moram.

& *Nicander:* - - - - ſiccam tunc dorſi exuta ſenectam
Beſtia, ſegne trahit molli cervice volumen.

Quod ad *Augues* attinet, illos longævitate donatos eſſe, probant ingentia

gentia volumina, qvæ Indici contrahunt, molesqve inſolitæ, in qvas ſæpe numero excreſcunt.

CAMELUS ſecundum *Ariſtot. VI. c. 26.* & *Ælian. IV. c. 26.* qvinqvaginta annos, & *Bactriani* ad centeſimum annum usqve vitam agunt. Sic *Solinus in Polyb. c. 62:* Durant Cameli in centum annos, ni forte, translati in peregrina, inſolentia mutati aëris morbos trahant, & Plinius VIII. 18. vivunt qvinqvagenis annis, qvidam & centenis. CAMELUS.

Inter Aves de AQVILA communiter dicitur, ſummum contrahere ſenium in fundamento *Eſaiæ cap. XL. 31.* qvi Dominum exſpectant, novas ſubinde vires recipiunt, ſuſtollent alas ut aqvilæ & *Pſalm. CII. 5*, ut recuperes juventam tuam, ſicut aqvila — verum mens ſacrorum Scriptorum non eſt, qvod ſenecta depoſita reapſe rejuveneſcat *Aqvila;* rejuveneſcit, qvoties excidunt ei plumæ veteres, & ſuccreſcunt novæ; ita qvoqve ſenecturem exuit *Serpens;* & *Auguſtinus in Pſalm. CII.* ait, interire fame aqvilam ſenem ex roſtro ſuperiore accreſcente, ni eo ad petram detrito eſu vires collapſas reficeret; vid. *Ariſt. LIX. c. 33. Plin. X. 3. Horus Apollo L. II. c. 92.* & *Hieronym. in Ieſ. XL.* crebro diximus aquilarum ſenecturem revireſcere mutatione pennarum. Hoc loco conferatur *Hiſt. Acad. Scient. 1699. p. 50.* de Sectione Hominis circiter C annorum: „Monſieur Poupart y trouva un melan„ge étonnant de marqves de vieilleſſe & d'une jeuneſſe nouvelle;„ qvi cajus attentione dignus. Qvicqvid ſit, de longævitate aqvilæ nihil certi conſtat. AQVILA.

Mittimus animalia terreſtria & volatilia, nosqve in fundum maris præcipitantes offendimus animalia *pelagia* i. e. nunqvam prodeuntia littoraqve ſalutantia qvæ reliqvorum pariter ac hominis ætates longe ſuperant. Conſideranda nobis obviam veniunt præſertim illa ex cochlidum familia: *Buccina, Nautili, Cornua* ſic dicta *Ammonis*, ne dicam de *Caſſidibus*, pluribus. Ejusmodi animalia unacum teſtis ſuis (licet aliter ſentiant viri graviſſimi) ex ovis prodeunt exigua, qvotannis in orbem vix dimidium pollicem ſuccreſcentia, vaſtæ tamen molis volumina lucrantur, hinc annoſitatem vel longævitatêm talium animalium pelagiorum conjicere licet. De Polyporum inaudita magnitudine vide *Plin. H. N. IX. 30. Olearius* teſtatur ex conchis indicis eſſe, qvæ ſexcentas libras pendent, intra qvas homines tumulare Chinenſes ſeptentrionales ſoleant; imo & terreſtres cochleæ Solitanæ ex Africa tantæ magnitudinis ſecundum *Varronem*, ut ex calculo *Geſneri* tres Congios vini cum duobus ſextariis capere poſſint. PELAGIA.

Inter *piſces* LUCIO vita eſt longiſſima, exemplo deſumpto a Lucio *Friderici II.* Imperatoris, qvi in ſtagno qvodem annos CCLXVII. vixiſſe creditur, ob annulum aureum, qvem, cum ſtagno piſcem Imperator committeret, LUCIUS.

G

ad

ad branchias ſub cute occultabat, cum inſcriptione græca: Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθύς: &c. *Ego ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impoſitus per mundi rectoris Frederici ſecundi manus die qvinto Octobris;* fuit enim inventus, capto Lucio, annulus anno ſalutis 1497, ut teſtatur *Conradus Celtis* referente *Geſnero* in ſua Epiſtola nuncupatoria. Capiuntur & noſtris temporibus Lucii inſolitæ magnitudinis, de qvorum annoſitate muſci aqvatici cuti innati teſtari perhibentur, verum, me judice, ex tali phœnomeno non tuto annoſitas Lucii probari poteſt, notiſſimum enim eſt, ſtagna abundare muſcis, conſeqventer ſemina oculos ſubterfugientia cum aqva confundi; perſuaſus itaqve ſum, piſci, qviscunqve fuerit, læſo, ita ut in aliqvo loco corporis ſui ſqvamæ tollantur, ſeminia muſcorum adhærere, mox in plantas, qvæ natura ſua non altas radices agunt, excreſcentia.

VEGETABILIA. INANIMATORUM ſive VEGETABILIUM ætas periodum vitæ animalium omnium omnino ſuperat. Ne extra Europam navigemus, provocamus ad QVERCUS noſtras, aliasqve annolæ vegetationis indole donatas arbores.

Hæc Tibi ſcripta fero, miſeræ ſolatia vitæ;
Qvæ procul inſidias & mala qvæqve fugent.

AD-

Digitized by Google

ADDENDA.

Pag. 6. lin. 1. poſt verbum: dignior *adde:* Et quid eſſet, inquit *Rondeletius*, aliud inter nos, quam Chaos quoddam & rerum omnium congeries, niſi forma, colore aliisque hujusmodi internoſcerentur? - ne illa quidem linguarum confuſio in Babel tantum unqvam negotii exhibuit, qvanta illa rerum omnium ſimilitudo exhibuiſſet. Nemo Platonem a Cicerone dignoſceret, ſi *huic* ciceris nota, quæ in facie ſpectabatur, *illi* ſcapularum latitudo deeſſet - vix poſſumus, quæ eſt mentis noſtræ imbecillitas, res aliqua ſimilitudine conjunctas diſcernere, qvid futurum fuiſſet putamus, ſi omnes figura coloreqve inter ſe convenirent. - Quæ cum ita ſint, non temere, ſed ſumma cum providentia, magnoqve noſtro commodo, natura *(piſces)* etiam varia partium figura, varia item totius corporis mole a ſe disjunxit.

Pag. 8. lin. 1. poſt verba: plantæ ſint; *adde:* flores ferentes, ſecundum Marſillium, & qvi eum ſecuti, omnes Phytologos (vid. tamen *Illuſtr. Reaumurii* lib. mem. de 1727; & *Ejus* Præfat. Tomi VI. de Inſectis p. LXXIV, ubi ad ſententiam D. *Peuſſonelii*, flores Corallii coagmentata & in forma florum coalitâ animalcula, *qvidni polypeda*, eſſe *propenſus*, dummodo removeri poſſent nonnullæ difficultates, nec qvidem leves); &

Pag. 12. in fine §. XI. *adde: Nic. Leonicenus de Plinii & aliorum erroribus p. 303* PYGMÆOS mirabiliter deſcribit: „*Pygmæi* non ſunt „homines *proprie*, ſed tantum *hominibus figura ſimiles*; „in reliqvis autem, uti etiam vult *Albertus*, brutis ani„malibus adnumerandi„. Qvæ ſententia non niſi SIMIAS ferit, *Antropomorphorum* genus primum.

Pag. 18. lit. oo) lin. 2. poſt verba: in plantis carent, *adde:* Canes vertagi vel leporarii Curlandici, Eis-Wind-Hunde, valent plantis villoſis, in hyeme ſuper tellure rigido & deficiente nive ad venandum aptiſſimi, pedibus &c.

Pag. 29. lit. ς) lin. 1. poſt verba: Cordylorum more *adde:* ſqvamati; vide Serpentem: cariné par un double rang d'ecailles pointues & relevées par une petite crête taillante, *Feuillée III. p. 385.*

— — lin. 2. poſt verbum: ſquamoſi, *adde:* videntur equidem ſquamis

mis integi ſerpentes; at ſi propius inſpicias, non ſquamis ſed tenui cute vel corio, in qvo corpuſcula ſqvamis ſimilia radicantur, opertos eſſe dixeris; hinc Græci hujusmodi animalia unico vocabulo φολιδωτὰ appellant; eſt autem Φολὶς ſqvamis ſimilis, aliqvando rigidior, ut in crocodilis, aliquando tenuior, ut in ſerpentibus & lacertis. vid. *Rondel. Lib. II. cap. III.* Piſcibus ex ipſa catue ſquamæ prodeunt.

Pag. 29. lit. ϱ) lin. 2. poſt verbum: gaudent, *adde:* aut duobus aut pluribus, ſitu vel in mandibulis vel in palato diverſis.

Pag. 34. lit. a) in fine *adde: Rondel. Lib. IV. c. VIII.* locuſtas ingredi non poſſe dicit, quod pedes in obliqvum converſos habent, natationi qvam ingreſſui aptiores; quod contra experientiam.

Pag. 35. §. IX. in fine *adde:* Secundum *Ariſtotel. L. I. c. 4.* qvæ inciſuras parte ſui vel prona vel ſupina habent, vel etiam utraqve; licet pro inſectis non habeat, ubi oſſeum qvicqvam diſcretum aut corneum intercedit.

Pag. 36. lin. 5. ad verba: oculi ſunt, *adde notam* (†). Ergo in capite; cum ibi cerebrum ubi oculi, illudque capiti inſit, neceſſe eſt; quanquam *Galenus de uſu part. lib. VIII.* Cancris &c. caput deeſſe affirmet.

Pag. 39. lin. 3. a fine; poſt verba: ſex cruribus *adde:* utrinque.

Pag. 42. §. XVII. ad finem *adde: Tineæ aqvaticæ* etiam habent 14. pedes; nec tamen *aſelli* vel oniſci audiunt.


CORRIGENDA.

Pag. 3. lit. f) lin. 6. *lege:* redegiſſet.
— 5. lin. 9. *lege:* Ibices.
— -- lin 17. — in ſuos.
— 16. litt. gg) lin. 4. *lege:* Qvando autem.
— 17. lin. 11. *lege:* hyemem.
— 22. lin. 12. pro mentibus *lege:* mentientibus.
— 24. lin. ult. ſuscipimus *dele* punctum.
— 27. lit. *n*) lin. 3. a fine *lege:* molares.
— 31. lit. d) lin. 1. *lege:* nonnullis.
— 34. lit. b) lin. ult. *lege:* falſa.
— 40. lin. 10. inanium oſtrearum *lege:* inanium Cochlidum.
— -- lin. 17. *dele* lignum (
— 41. § XV. lin. 4. 5. 9. *lege:* Aſellos, Aſelli, Aſellis.
Titulo & pag. 46 lin. 4 *lege:* COLLATA.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

Tab. ad Cruſtata.



Digitized by Google


f. β.
Fig. 5



Digitized by Google

Digitized by Google

BIB-
V
X